Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/greatestpontific0021vari

LEONIS XIII

PONTIFICIS MAXIMI

ACTA

VOL. XXI.

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA VATICANA
1902

ALMA COLLEGE
262.13
LIBRARY
L55-13
Alma, Calif.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
ANTONIO MARINI EQVITI

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Studium illud, quo semper in Apostolicam Sedem enituisti, ephemeridem tibi edendam suasit, quam *Eco del Pontificato* nuncupare placuit; ut videlicet ex ipso nomine pateret, nihil eidem propositum fore praeterquam Pontificum Romanorum tum Acta illustrare, tum iura defendere. Diligentem voluntatem tuam in utili opere prosequendo iam alias commendatione Nostra exornavimus. Quum tamen, exordio huius anni, vicesimus et quintus impletus sit, ex quo condendae ephemeridi animum ac manum adhibuisti; libet tributam saepe commendationem iterare, qua non propositum modo tuum, sed ipsam in urgendo constantiam utilesque fructus gratulemur. Testem vero benevolentiae Nostrae, atque auspicem divinorum

munerum, Apostolicam benedictionem tibi, collegis tuis atque lectoribus ephemeridis universis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Ianuarii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS
ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIOS
PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Graves de communi re oeconomica disceptationes, quae non una in gente iam dudum animorum labefactant concordiam, crebrescunt in dies calentque adeo, ut consilia ipsa hominum prudentiorum suspensa merito habeant et sollicita. Eas opinionum fallaciae, in genere philosophandi agendique late diffusae, invexere primum. Tum nova, quae tulit aetas, artibus adiumenta, commeatuum celeritas et adscita minuendae operae lucrisque augendis omne genus organa, contentionem acuerunt. Denique, locupletes inter ac proletarios, malis turbulentorum hominum studiis, concitato dissidio, eo res iam est deducta, ut civitates saepius agitatae motibus, magnis etiam videantur calamitatibus funestandae.

Nos quidem, pontificatu vix inito, probe animadvertimus quid civilis societas ex eo capite periclitaretur; officiique esse duximus catholicos monere palam, quantus in socialismi placitis lateret error, quantaque immineret inde pernicies, non externis vitae bonis tantummodo, sed morum etiam probitati religiosaeque rei. Huc spectarunt litterae encyclicae *Quod Apostolici muneris,* quas dedimus die XXVIII decembris anno MDCCCLXXVIII. — Verum, periculis iis ingravescentibus maiore quotidie cum damno privatim publice, iterum Nos eoque enixius ad providendum contendimus. Datisque similiter litteris *Rerum novarum,* die XV maii anno MDCCCXCI, de iuribus et officiis fuse diximus, quibus geminas civium classes, eorum qui rem et eorum qui operam conferunt, congruere inter se oporteret; simulque remedia ex evangelicis praescriptis monstravimus, quae ad tuendam iustitiae et religionis causam, et ad dimicationem omnem inter civitatis ordines dirimendam visa sunt in primis utilia.

Nec vero Nostra, Deo dante, irrita cessit fiducia. Siquidem vel ipsi qui a catholicis dissident, veritatis vi commoti, hoc tribuendum Ecclesiae professi sunt, quod ad omnes civitatis gradus se porrigat providentem, atque ad illos praecipue qui misera in fortuna versantur. Satisque uberes ex documentis Nostris catholici percepere fructus. Nam inde non incitamenta solum viresque hauserunt ad coepta optima persequenda; sed lucem etiam mutuati sunt optatam, cuius beneficio huiusmodi disciplinae studia tutius ii quidem ac felicius insisterent. Hinc factum ut

opinionum inter eos dissensiones, partim submotae sint, partim mollitae interquieverint. In actione vero, id consecutum est ut ad curandas proletariorum rationes, quibus praesertim locis magis erant afflictae, non pauca sint constanti proposito vel nove inducta vel aucta utiliter; cuiusmodi sunt: ea ignaris oblata auxilia, quae vocant secretariatus populi; mensae ad ruricolarum mutuationes; consociationes, aliae ad suppetias mutuo ferendas, aliae ad necessitates ob infortunia levandas; opificum sodalitia; alia id genus et societatum et operum adiumenta.

Sic igitur, Ecclesiae auspiciis, quaedam inter catholicos tum coniunctio actionis tum institutorum providentia inita est in praesidium plebis, tam saepe non minus insidiis et periculis quam inopia et laboribus circumventae. Quae popularis beneficentiae ratio nullâ quidem propria appellatione initio distingui consuevit: *socialismi christiani* nomen a nonnullis invectum et derivata ab eo haud immerito obsoleverunt. Eam deinde pluribus iure nominare placuit *actionem christianam popularem*. Est etiam ubi, qui tali rei dant operam, *sociales christiani* vocantur: alibi vero ipsa vocatur *democratia christiana*, ac *democratici christiani* qui eidem dediti; contra eam quam socialistae contendunt *democratiam socialem*. — Iamvero e binis rei significandae modis postremo loco allatis, si non adeo primus, *sociales christiani*, alter certe, *democratia christiana*, apud bonos plures offensionem habet, quippe cui ambiguum quiddam et periculosum adhaerescere existiment. Ab hac enim appellatione metuunt, plus unâ de causa: videlicet,

ne quo obtecto studio popularis civitas foveatur, vel ceteris politicis formis praeoptetur; ne ad plebis commoda, ceteris tamquam semotis rei publicae ordinibus, christianae religionis virtus coangustari videatur: ne denique sub fucato nomine quoddam lateat propositum legitimi cuiusvis imperii, civilis, sacri, detrectandi. — Qua de re quum vulgo iam nimis et nonnunquam acriter disceptetur, monet conscientia officii ut controversiae modum imponamus, definientes quidnam sit a catholicis in hac re sentiendum: praeterea quaedam praescribere consilium est, quo amplior fiat ipsorum actio, multoque salubrior civitati eveniat.

Quid *democratia socialis* velit, quid velle *christianam* oporteat, incertum plane esse nequit. Altera enim, plus minusve intemperanter eam libeat profiteri, usque eo pravitatis a multis compellitur, nihil ut quidquam supra humana reputet; corporis bona atque externa consectetur, in eisque captandis fruendis hominis beatitatem constituat. Hinc imperium penes plebem in civitate velint esse, ut, sublatis ordinum gradibus aequatisque civibus, ad bonorum etiam inter eos aequalitatem sit gressus: hinc ius dominii delendum; et quidquid fortunarum est singulis, ipsaque instrumenta vitae, communia habenda. At vero democratia christiana, eo nimirum quod christiana dicitur, suo veluti fundamento, positis a divina fide principiis niti debet, infimorum sic prospiciens utilitatibus, ut animos ad sempiterna factos convenienter perficiat. Proinde nihil sit illi iustitiâ

sanctius; ius potiundi possidendi iubeat esse integrum; dispares tueatur ordines, sane proprios bene constitutae civitatis; eam demum humano convictui velit formam atque indolem esse, qualem Deus auctor indidit. Liquet igitur *democratiae socialis* et *christianae* communionem esse nullam: eae nempe inter se differunt tantum, quantum socialismi secta et professio christianae legis.

Nefas autem sit christianae democratiae appellationem ad politica detorqueri. Quamquam enim *democratia*, ex ipsa notatione nominis usuque philosophorum, regimen indicat populare; attamen in re presenti sic usurpanda est, ut, omni politica notione detracta, aliud nihil significatum praeferat, nisi hanc ipsam beneficam in populum actionem christianam. Nam naturae et evangelii praecepta quia suopte iure humanos casus excedunt, ea necesse est ex nullo civilis regiminis modo pendere; sed convenire cum quovis posse, modo ne honestati et iustitiae repugnet. Sunt ipsa igitur manentque a partium studiis variisque eventibus plane aliena: ut in qualibet demum rei publicae constitutione, possint cives ac debeant iisdem stare praeceptis, quibus iubentur Deum super omnia, proximos sicut se diligere. Haec perpetua Ecclesiae disciplina fuit; hac usi romani Pontifices cum civitatibus egere semper, quocumque illae administrationis genere tenerentur. Quae quum sint ita, catholicorum mens atque actio, quae bono proletariorum promovendo studet, eo profecto spectare nequaquam potest, ut aliud prae alio regimen civitatis adamet atque invehat.

Non dissimili modo a democratia christiana removendum est alterum illud offensionis caput: quod nimirum in commodis inferiorum ordinum curas sic collocet, ut superiores praeterire videatur; quorum tamen non minor est usus ad conservationem perfectionemque civitatis. Praecavet id christiana, quam nuper diximus, caritatis lex. Haec ad omnes omnino cuiusvis gradus homines patet complectendos, utpote unius eiusdemque familiae, eodem benignissimo editos Patre et redemptos Servatore, eamdemque in hereditatem vocatos aeternam. Scilicet, quae est doctrina et admonitio Apostoli: *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis* [1]. Quare propter nativam plebis cum ordinibus ceteris coniunctionem, eamque arctiorem ex christiana fraternitate, in eosdem certe influit quantacumque plebi adiutandae diligentia impenditur; eo vel magis quia ad exitum rei secundum plane decet ac necesse est ipsos in partem operae advocari, quod infra aperiemus.

Longe pariter absit, ut appellatione democratiae christianae propositum subdatur omnis abiiciendae obedientiae eosque aversandi qui legitime praesunt. Revereri eos qui pro suo quisque gradu in civitate praesunt, eisdemque iuste iubentibus obtemperare, lex aeque naturalis et christiana praecipit. Quod quidem ut homine eodemque

[1] Ephes. IV, 4–6.

christiano sit dignum, ex animo et officio praestari oportet, scilicet *propter conscientiam*, quemadmodum ipse monuit Apostolus, quum illud edixit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* [1]. Abhorret autem a professione christianae vitae, ut quis nolit iis subesse et parere, qui cum potestate in Ecclesia antecedunt: Episcopis in primis, quos, integrâ Pontificis romani in universos auctoritate, *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* [2]. Iam qui secus sentiat aut faciat, is enimvero gravissimum eiusdem Apostoli praeceptum oblitus convincitur: *Obedite praepositis vestris, et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* [3]. Quae dicta permagni interest ut fideles universi alte sibi defigant in animis atque in omni vitae consuetudine perficere studeant: eademque sacrorum ministri diligentissime reputantes, non hortatione solum, sed maxime exemplo, ceteris persuadere ne intermittant.

His igitur revocatis capitibus rerum, quas antehac per occasionem datâ opera illustravimus, speramus fore ut quaevis de christianae democratiae nomine dissensio, omnisque de re, eo nomine significata, suspicio periculi iam deponatur. Et iure quidem speramus. Etenim, iis missis quorumdam sententiis de huiusmodi democratiae

[1] Rom. XIII, 1, 5.

[2] Act. XX, 28.

[3] Hebr. XIII, 17.

christianae vi ac virtute, quae immoderatione aliqua vel errore non careant; certe nemo unus studium illud reprehenderit, quod, secundum naturalem divinamque legem, eo unice pertineat, ut qui vitam manu et arte sustentant, tolerabiliorem in statum adducantur, habeantque sensim quo sibi ipsi prospiciant; domi atque palam officia virtutum et religionis libere expleant; sentiant se non animantia sed homines, non ethnicos sed christianos esse; atque adeo ad *unum* illud *necessarium*, ad ultimum bonum, cui nati sumus, et facilius et studiosius nitantur. Iamvero hic finis, hoc opus eorum qui plebem christiano animo velint et opportune relevatam et a peste incolumem socialismi.

De officiis virtutum et religionis modo Nos mentionem consulto iniecimus. Quorumdam enim opinio est, quae in vulgus manat, *quaestionem socialem*, quam aiunt, *oeconomicam* esse tantummodo: quum contra verissimum sit, eam moralem in primis et religiosam esse, ob eamdemque rem ex lege morum potissime et religionis iudicio dirimendam. Esto namque ut operam locantibus geminetur merces; esto ut contrahatur operi tempus; etiam annonae sit vilitas: atqui, si mercenarius eas audiat doctrinas, ut assolet, eisque utatur exemplis, quae ad exuendam Numinis reverentiam alliciant depravandosque mores, eius etiam labores ac rem necesse est dilabi. Periclitatione atque usu perspectum est, opifices plerosque anguste miserque vivere, qui, quamvis operam habeant breviorem spatio et uberiorem mercede, corruptis tamen moribus nullâque religionis disciplina vivunt. Deme animis sensus, quos

inserit et colit christiana sapientia; deme providentiam, modestiam, parsimoniam, patientiam ceterosque rectos naturae habitus: prosperitatem, etsi multum contendas, frustra persequare. Id plane est causae, cur catholicos homines inire coetus ad meliora plebi paranda, aliaque similiter instituta invehere Nos nunquam hortati sumus, quin pariter moneremus, ut haec religione auspice fierent eâque adiutrice et comite.

Videtur autem propensae huic catholicorum in proletarios voluntati eo maior tribuenda laus, quod in eodem campo explicatur, in quo constanter feliciterque, benigno afflatu Ecclesiae, actuosa caritatis certavit industria, accommodate ad tempora. Cuius quidem mutuae caritatis lege, legem iustitiae quasi perficiente, non sua solum iubemur cuique tribuere ac iure suo agentes non prohibere; verum etiam gratificari invicem, *non verbo, neque lingua, sed opere et veritate* [1]; memores quae Christus peramanter ad suos habuit: *Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* [2]. Tale gratificandi studium, quamquam esse primum oportet de animorum bono non caduco sollicitum, praetermittere tamen haudquaquam debet quae usui sunt et adiumento vitae. Qua in re illud est memoratu dignum, Christum, sciscitantibus Baptistae discipulis: *Tu es qui ven-*

[1] I. Ioann. III, 18.

[2] Ioann. XIII, 34-35.

turus es, an alium expectamus? demandati sibi inter homines muneris arguisse causam ex hoc caritatis capite, Isaiae excitatâ sententia: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur* [1]. Idemque de supremo iudicio ac de praemiis poenisque decernendis eloquens, professus est se singulari quadam respecturum ratione, qualem homines caritatem alter alteri adhibuissent. In quo Christi sermone id quidem admiratione non vacat, quemadmodum ille, partibus misericordiae solantis animos tacite omissis, externae tantum commemorarit officia, atque ea tamquam sibimetipsi impensa: *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me* [2].

Ad haec documenta caritatis utrâque ex parte, et animae et corporis bono, probandae, addidit Christus de se exempla, ut nemo ignorat, quam maxime insignia. In re praesenti sane suavissima est ad recolendum vox ea paterno corde emissa: *Misereor super turbam* [3], et par voluntas ope vel mirifica subveniendi: cuius miserationis praeconium extat: *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo* [4]. — Traditam ab eo caritatis disciplinam Apostoli primum sancte naviterque coluerunt; post

[1] Matth. XI, 5.

[2] Ib. XXV, 35–36.

[3] Marc. VIII, 2.

[4] Act. X, 38.

illos qui christianam fidem amplexi sunt, auctores fuerunt inveniendae variae institutorum copiae ad miserias hominum, quaecumque urgeant, allevandas. Quae instituta, continuis incrementis provecta, christiani nominis partaeque inde humanitatis propria ac praeclara sunt ornamenta: ut ea integri iudicii homines satis admirari non queant, maxime quod tam sit proclive ut in sua quisque feratur commoda, aliena posthabeat.

Neque de eo numero bene factorum excipienda est erogatio stipis, eleemosynae causâ; ad quam illud pertinet Christi: *Quod superest, date eleemosynam* [1]. Hanc scilicet socialistae carpunt atque e medio sublatam volunt, utpote ingenitae homini nobilitati iniuriosam. At enim si ad evangelii praescripta [2], et christiano ritu fiat, illa quidem neque erogantium superbiam alit, neque affert accipientibus verecundiam. Tantum vero abest ut homini sit indecora, ut potius foveat societatem coniunctionis humanae, officiorum inter homines fovendo necessitudinem. Nemo quippe hominum est adeo locuples, qui nullius indigeat; nemo est egenus adeo, ut non alteri possit qua re prodesse: est id innatum, ut opem inter se homines et fidenter poscant et ferant benevole. — Sic nempe iustitia et caritas inter se devinctae, aequo Christi mitique iure, humanae societatis compagem mire continent, ac membra singula ad proprium et commune bonum providenter adducunt.

Quod autem laboranti plebi non temporariis tantum

[1] Luc. xi, 41.

[2] Matth. vi, 2–4.

subsidiis, sed constanti quadam institutorum ratione subveniatur, caritati pariter laudi vertendum est; certius enim firmiusque egentibus stabit. Eo amplius est in laude ponendum, velle eorum animos, qui exercent artes vel operas locant, sic ad parsimoniam providentiamque formari, ut ipsi sibi, decursu aetatis, saltem ex parte consulant. Tale propositum, non modo locupletum in proletarios officium elevat, sed ipsos honestat proletarios; quos quidem dum excitat ad clementiorem sibi fortunam parandam, idem a periculis arcet et ab intemperantia coërcet cupiditatum, idemque ad virtutis cultum invitat. Tantae igitur quum sit utilitatis ac tam congruentis temporibus, dignum certe est in quo caritas bonorum alacris et prudens contendat.

Maneat igitur, studium istud catholicorum solandae erigendaeque plebis plane congruere cum Ecclesiae ingenio et perpetuis eiusdem exemplis optime respondere. Ea vero quae ad id conducant, utrum *actionis christianae popularis* nomine appellentur, an *democratiae christianae*, parvi admodum refert; si quidem impertita a Nobis documenta, quo par est obsequio, integra custodiantur. At refert magnopere ut, in tanti momenti re, una eademque sit catholicorum hominum mens, una eademque voluntas atque actio. Nec refert minus ut actio ipsa, multiplicatis hominum rerumque praesidiis, augeatur, amplificetur. — Eorum praesertim advocanda est benigna opera, quibus et locus et census et ingenii animique cultura plus quiddam auctoritatis in civitate conciliant. Ista

si desit opera, vix quidquam confici potest quod vere valeat ad quaesitas popularis vitae utilitates. Sane ad id eo certius breviusque patebit iter, quo impensius multiplex praestantiorum civium efficientia conspiret. Ipsi autem considerent velimus non esse sibi in integro, infimorum curare sortem an negligere; sed officio prorsus teneri. Nec enim suis quisque commodis tantum in civitate vivit, verum etiam communibus: ut, quod alii in summam communis boni conferre pro parte nequeant, largius conferant alii qui possint. Cuius quidem officii quantum sit pondus ipsa edocet acceptorum bonorum praestantia, quam consequatur necesse est restrictior ratio, summo reddenda largitori Deo. Id etiam monet malorum lues, quae, remedio non tempestive adhibito, in omnium ordinum perniciem est aliquando eruptura: ut nimirum qui calamitosae plebis negligat causam, ipse sibi et civitati faciat improvide. — Quod si actio ista christiano more socialis late obtineat vigeatque sincera, nequaquam profecto fiet, ut cetera instituta, quae ex maiorum pietate ac providentia iam pridem extant et florent, vel exarescant vel novis institutis quasi absorpta deficiant. Haec enim atque illa, utpote quae eodem consilio religionis et caritatis impulsa, neque re ipsa quidquam inter se pugnantia, commode quidem componi possunt et cohaerere tam apte, ut necessitatibus plebis periculisque quotidie gravioribus eo opportunius liceat, collatis benemerendi studiis, consulere. — Res nempe clamat, vehementer clamat, audentibus animis opus esse viribusque coniunctis; quum

sane nimis ampla aerumnarum seges obversetur oculis, et perturbationum exitialium impendeant, maxime ab invalescente socialistarum vi, formidolosa discrimina. Callide illi in sinum invadunt civitatis: in occultorum conventuum tenebris ac palam in luce, qua voce qua scriptis, multitudinem seditione concitant; disciplinâ religionis abiecta, officia negligunt, nil nisi iura extollunt; ac turbas egentium quotidie frequentiores sollicitant, quae ob rerum angustias facilius deceptioni patent et ad errorem rapiuntur. — Aeque de civitate ac de religione agitur res; utramque in suo tueri honore sanctum esse bonis omnibus debet.

Quae voluntatum consensio ut optato consistat, ab omnibus praeterea abstinendum est contentionis causis quae offendant animos et disiungant. Proinde in ephemeridum scriptis et concionibus popularibus sileant quaedam subtiliores neque ullius fere utilitatis quaestiones, quae quum ad expediendum non faciles sunt, tum etiam ad intelligendum vim aptam ingenii et non vulgare studium exposcunt. Sane humanum est, haerere in multis dubios et diversos diversa sentire: eos tamen qui verum ex animo persequantur addecet, in disputatione adhuc ancipiti, aequanimitatem servare ac modestiam mutuamque observantiam; ne scilicet, dissidentibus opinionibus, voluntates item dissideant. Quidquid vero, in causis quae dubitationem non respuant, opinari quis malit, animum sic semper gerat, ut Sedi Apostolicae dicto audiens esse velit religiosissime.

Atque ista catholicorum actio, qualiscumque est, ampliore quidem cum efficacitate procedet, si consociationes eorum omnes, salvo suo cuiusque iure, unâ eademque primaria vi dirigente et movente processerint. Quas ipsis partes in Italia volumus praestet institutum illud, a Congressibus coetibusque catholicis, saepenumero a Nobis laudatum: cui et Decessor Noster et Nosmetipsi curam hanc demandavimus communis catholicorum actionis, auspicio et ductu sacrorum Antistitum, temperandae. Item porro fiat apud nationes ceteras, si quis usquam eiusmodi est praecipuus coetus, cui id negotii legitimo iure sit datum.

Iamvero in toto hoc rerum genere, quod cum Ecclesiae et plebis christianae rationibus omnino copulatur, apparet quid non elaborare debeant qui sacro munere fungantur, et quam variâ doctrinae, prudentiae, caritatis industria id possint. Prodire in populum in eoque salutariter versari opportunum esse, prout res sunt ac tempora, non semel Nobis, homines e clero allocutis, visum est affirmare. Saepius autem per litteras ad Episcopos aliosve sacri ordinis viros, etiam proximis annis [1], datas, hanc ipsam amantem populi providentiam collaudavimus, propriamque esse diximus utriusque ordinis clericorum. Qui tamen in eius officiis explendis caute admodum prudenterque faciant, ad similitudinem hominum sanctorum. Franciscus ille pauper et humilis, ille calamitosorum pater

[1] Ad Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum, die XXV NOV. AN. MDCCCLXXXVIII.

Vincentius a Paulo, alii in omni Ecclesiae memoria complures, assiduas curas in populum sic temperare consueverunt, ut non plus aequo distenti neque immemores sui, contentione pari suum ipsi animum ad perfectionem virtutis omnis excolerent. — Unum hic libet paulo expressius subiicere, in quo non modo sacrorum administri, sed etiam quotquot sunt popularis causae studiosi, optime de ipsa, nec difficili opera, mereantur. Nempe, si pariter studeant per opportunitatem haec praecipue in plebis anima fraterno alloquio inculcare. Quae sunt: a seditione, a seditiosis usquequaque caveant; aliena cuiusvis iura habeant inviolata; iustam dominis observantiam atque operam volentes exhibeant; domesticae vitae ne fastidiant consuetudinem multis modis frugiferam; religionem in primis colant, ab eaque in asperitatibus vitae certum petant solatium. Quibus perficiendis propositis sane quanto sit adiumento vel Sanctae Familiae Nazarethanae praestantissimum revocare specimen et commendare praesidium, vel eorum proponere exempla quos ad virtutis fastigium tenuitas ipsa sortis eduxit, vel etiam spem alere praemii in potiore vita mansuri.

Postremo id rursus graviusque commonemus, ut quidquid consilii in eadem causa vel singuli vel consociati homines efficiendum suscipiant, meminerint Episcoporum auctoritati esse penitus obsequendum. Decipi se ne sinant vehementiore quodam caritatis studio; quod quidem, si quam iacturam debitae obtemperationis suadeat, sincerum non est, neque solidae utilitatis efficiens, neque gra-

tum Deo. Eorum Deus delectatur animo qui, sententiâ sua postposita, Ecclesiae praesides sic plane ut ipsum audiunt iubentes; iis volens adest vel arduas molientibus res, coeptaque ad exitus optatos solet benignus perducere. — Ad haec accedant consentanea virtutis exempla, maxime quae christianum hominem probant osorem ignaviae et voluptatum, de rerum copia in alienas utilitates amice impertientem, ad aerumnas constantem, invictum. Ista quippe exempla vim habent magnam ad salutares spiritus in populo excitandos; vimque habent maiorem, quum praestantiorum civium vitam exornant.

Haec vos, Venerabiles Fratres, opportune ad hominum locorumque necessitates, pro prudentia et navitate vestra curetis hortamur; de iisdemque rebus consilia inter vos, de more congressi, communicetis. In eo autem vestrae evigilent curae atque auctoritas valeat, moderando, cohibendo, obsistendo, ut ne, ullâ cuiusvis specie boni fovendi, sacrae disciplinae laxetur vigor, neu perturbetur ordinis ratio quem Christus Ecclesiae suae praefinivit. — Recta igitur et concordi et progrediente catholicorum omnium operâ, eo pateat illustrius, tranquillitatem ordinis veramque prosperitatem in populis praecipue florere, moderatrice et fautrice Ecclesia; cuius est sanctissimum munus, sui quemque officii ex christianis praeceptis admonere, locupletes ac tenues fraterna caritate coniungere, erigere et roborare animos in cursu humanarum rerum adverso.

Praescripta et optata Nostra confirmet ea beati Pauli

ad Romanos, plena apostolicae caritatis, hortatio: *Obsecro vos.... Reformamini in novitate sensus vestri.... Qui tribuit, in simplicitate; qui praecest, in sollicitudine; qui miseretur, in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhaerentes bono: caritate fraternitatis invicem diligentes; honore invicem praevenientes: sollicitudine non pigri: spe gaudentes; in tribulatione patientes; orationi instantes: necessitatibus sanctorum communicantes; hospitalitatem sectantes. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: idipsum invicem sentientes: nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus* [1].

Quorum auspex bonorum accedat Apostolica benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, Clero ac populo vestro amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Ianuarii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

[1] XII, 1-17.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
DOMINICO S. R. E. PRESBYTERO
CARDINALI SVAMPA
ARCHIEPISCOPO BONONIENSI
BONONIAM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Peraccepta habuimus faustitatis vota quae, sacratissimo Christi redeunte natali, tuis ipse litteris et communibus cum Collegio isto Theologorum humaniter exhibuisti. Tuam quidem tuorumque in hanc Petri Sedem et in Nos pietatem iam pridem novimus, eamdemque per ipsum anni sacri decursum videre licuit eo amplius declaratam. Atque illud sibi non tenuem poscit laudem, profecta a vobis esse initia propositi sancti et salutaris, quo gentes catholicae adductae sunt alacres ad singulares quosdam honores Christo Redemptori sub ortum saeculi vicesimi dedicandos. Quare vicissim paternum vobis animum peculiari significatione confirmare iucundum est; libetque cali-

cem sacrificalem mittere ac templo vestro metropolitano attribuere. Eum nuper ex collatione catholici orbis dono accepimus; eoque rite usi, primâ ipsa saeculi hora, universitatem christiani gregis Auctori salutis et pacis enixe commendavimus. Respiciat ille vota Nostra, initumque saeculum et Ecclesiae et rei publicae secundo plane cursu procedere benignissimus velit: vestra autem consilia et coepta, *quaecumque sunt iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia* (Philipp. IV), foveat idem et ad exitum praesens deducat. In quo nihil profecto esse optabilius potest, quam omnes Archiepiscopo suo, pastori sollertissimo, studiose adhaerere ordines civium, sui quemque officii constare memores, Clerum antecellere exemplo vitae, doctrina, caritate. Haec bona ut divino munere augeantur in vobis feliciusque floreant, Apostolicam benedictionem tibi in primis, dilecte Fili Noster, eidem almo Theologorum Collegio, omni Clero ac populo peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXV Ianuarii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

DECRETVM

QVO

NONNVLLAE PAROECIAE

A DIOECESI APVANA DISMEMBRANTVR

ET MASSENSI SVBIICIVNTVR

—

Apostolicis Litteris, quarum initium « *Dum universi gregis* » a f. m. Pio PP. IX, die decima septima Decembris 1853 editis, quibus nova dioecesibus in Atestina ditione sitis, et etiam finitimis circumscriptio decernebatur, dispositum fuit, ut ab Apuano Episcopatu paroeciae quinquaginta novem dismembrarentur, et Massensi Ecclesiae attribuerentur, ac e converso ab huius dioecesis territorio divellerentur paroeciae decem et septem, et in quamdam compensationem Apuanae Ecclesiae attribuerentur. Haec paroeciarum permutatio inter Apuanam et Massensem Ecclesiam ea lege constituta fuit, ut realem actu consequeretur effectum, cum primum respectiva dictarum dioecesium vacatio eveniret. Vacante itaque anno 1855 Massensi Ecclesia, ab eius territorio iuxta disposita in Apostolicis Litteris superius enunciatis, paroeciae decem et septem avulsae et Apuanae dioecesi adiectae atque aggregatae fuere. Anno vero 1872 Apuanus Antistes

R. P. D. Michael Orlandi, aetate provectus et adversa laborans valetudine, causis adductis dioecesi suae faventibus, humiliter a Pio IX P. M. petiit, ut resoluta quandocumque conditione Sedis nempe vacantis in superius memoratis Litteris expressa, nihilominus earumdem canonicum effectum, quoad dismembrationem paroeciarum ab Apuana dioecesi efficiendam, earumque assignationem Massensi Ecclesiae dignaretur suspendere; atque iuxta preces oblatas, indulgenter obtinuit per Decretum datum die 20 Maii 1872, ut praedictarum Apostolicarum Litterarum differretur effectus ad beneplacitum Apostolicae Sedis. Hinc factum est ut licet ab anno 1872 Apuana Sedes pluries vacaverit, tamen Massensis Dioecesis paroeciarum, quae sibi aggregandae erant, nunquam compos esse potuerit. Hac de causa Massensis Ecclesiae Episcopus R. P. D. Aemilius Miniati actu existens, Sede Apuana vacante, per litteras datas die 2 Septembris 1899 humiliter supplicavit Ssmo D. Leoni PP. XIII, ut Apostolicae Litterae, de quibus supra, die 17 Decembris 1853 editae, diuturna suspensione sublata quae per Decretum die 20 Maii datum 1872 inducta fuerat, tandem effectum suum favore dioecesis Massensis sortirentur. Sanctitas Sua aequas ac iustas Episcopi Massensis postulationes agnoscens, opportunum censuit, ut uterque Episcopus Apuanus et Massensis simul convenirent, ac debita cessione et compensatione inter se mutuo assensu constituta, finem controversiae in perpetuum imponerent. Obsequentes autem menti et desideriis Sanctitatis Suae iidem

Episcopi, auditis omnibus interesse habentibus, conventione inter se inita, statuerunt ut Episcopus Apuanus pro sua parte decem et septem paroecias e sua dioecesi infra proprio nomine designandas iure compensationis debitas Episcopo Massensi cederet ac attribueret, eamdemque conventionem scripto consignatam et Ssm̃i Domini Leonis XIII P. M. approbationi subiiciendam, uterque Episcopus die 18 Octobris anno 1900 sua vicissim subscriptione munivit. Re itaque mutuo consensu rite definita et composita, ac de omnibus per infrascriptum Secretarium S. Congregationis rebus consistorialibus praepositae, relatione habita ad Ssm̃um Dominum Nostrum Leonem XIII P. M., Sanctitas Sua Litteras conventionis initae inter Episcopum Apuanum et Massensem die 18 Octobris 1900 datas, et utriusque Episcopi subscriptione munitas Pontificia auctoritate probavit ratasque habuit, ac attenta supra dicta conventione, derogatione facta Litteris Apostolicis die 17 Decembris 1853 editis, quae modum compensationis et permutationis perficiendae inter dioecesim Apuanam et Massensem respiciunt, pro ea parte, quae dismembrationem in favorem dioecesis Massensis constitutam spectabant, itemque derogatione facta Litteris Apostolicis die 20 Maii 1872 editis, quibus suspensio ad beneplacitum Apostolicae Sedis quoad cessionem et assignationem paroeciarum dioecesi Massensi debitam in favorem Apuanae dioecesis decernebatur, utendo facultate quam in novissima provisione cathedralis Ecclesiae Apuanae Sibi reservaverat, et quorumcumque interesse habentium vel habere

praesumentium consensum, quatenus opus sit, de Apostolica potestate supplens, infrascriptas paroecias numero decem et septem a dioecesi Apuana, videlicet Casola, Argigliano, Codiponte, Casciana, Ugliancaldo, Monte de Bianchi, Equi, Aiola, Monzone, Vinca, Tenerano, Cecina, Madrignana, Calice seu Castello di Calice, S. Maria seu Pieve di Calice, Borseda, Veppo nuncupatas, iuxta supra dictam conventionem perpetuo dismembravit, divisit ac separavit, ac in praedictis paroeciis seu locis sic dismembratis, divisis ac separatis, omnia in iis consistentia, comprehensa et contenta ac utriusque sexus personas, habitatores et incolas tam laicos quam Clericos, Presbyteros Beneficiatos et Religiosos, non tamen exemptos, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis ab ordinaria iurisdictione, potestate et superioritate Episcoporum pro tempore Apuanorum et ab omni iure Capituli et Canonicorum cathedralis Ecclesiae perpetuo exemit ac disiunxit, et in perpetuum dioecesi Massensi eiusque pro tempore Episcopo existenti univit, incorporavit, subiecit, ita ut memoratae paroeciae earumque incolae in posterum iurisdictioni Massensis Episcopi eiusque Successorum subiectae sint, prout hactenus iurisdictioni Apuani Antistitis subiectae fuere, in contrarium facientibus quamvis individua speciali et expressa mentione dignis, non obstantibus quibuscumque. Ad consulendum autem bono dioecesanorum, Sanctitas Sua iniunxit ac praescripsit, ut omnia et singula documenta respicientia paroecias et loca a dioecesi Apuana, ut supra, dismembrata et dioecesi

Massensi addicta et assignata, a Cancellaria Episcopatus Apuani extrahi, et Cancellariae Episcopatus Massensis, cui unita fuerunt, opportuna forma tradi et in ea perpetuo asservari debeant.

In executorem autem huius Decreti dismembrationis et unionis iuxta praemissa, Sanctitas Sua R. P. D. Ioannem Carli Episcopum Lunensem Sarzanensem et Brugnatensem deputavit, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi quamcumque personam in ecclesiastica dignitate constitutam ad effectum, de quo agitur, nec non cum facultate eidem Episcopo, sive eius subdelegando, definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione mittendi, intra duos menses a dismembratione et unione peracta, authenticum exemplar actorum, quae in hanc rem edita fuerint; ac praesens decretum perinde valiturum, ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis vel sub plumbo expeditae fuissent, emitti iussit, et inter acta Sacrae Congregationis Consistorialis referri mandavit.

Datum Romae die IX Februarii MDCCCCI.

† Carolvs Patriarcha Constantinopolitanvs
S. C. Cons. *Secretarius.*

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
HERBERTO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI VAUGHAN
ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERIENSI
CETERISQVE EX PROVINCIA WESTMONASTERIENSI EPISCOPIS

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

In maximis occupationibus variisque acerbitatibus solatium Nobis non mediocre semper afferre consuevit summa et constans Episcoporum cum Apostolica Sede coniunctio. Qua laude abundare vos, Venerabiles Fratres, et antea cognoveramus, et hoc postremo tempore idem agnovimus; quo tempore communes litteras vestras, ad populum pro potestate datas, Nostris subiiciendas oculis curavistis, num responderent iudicio Nostro exquisituri.

Sapientes illae visae sunt et graves. Vos videlicet a Spiritu Sancto positi Episcopi regere suam quisque partem Ecclesiae Dei, nostis optime omnium quid postulet populorum vestrorum salus, atque id, quod facto opus est, tempestive suadetis et prudenter. Nimis est cognita per-

nicies, quae partim premit, partim impendet ex opinionibus iis fallacissimis, quarum universum genus designari *Catholicismi Liberalis* appellatione solet. Magnitudinem discriminis, quod in catholicum nomen apud Anglos hoc tempore intenditur, nequaquam augetis dicendo, sed cuiusmodi est exprimitis; itemque in documentis praeceptisque Ecclesiae defixa, nihil ultra veritatem vestra excurrit oratio. Quod enim docendo, quod monendo complexi estis, id est omne a Decessoribus Nostris saepe tractatum, a Patribus Concilii Vaticani distincte traditum, a Nobismetipsis non semel vel sermone illustratum, vel litteris.

Saluberrimum consilium, caveri *a Rationalismo* iussisse, qui callide versuteque grassatur, nec venenum est ullum fidei divinae nocentius. Similique ratione quid rectius, quam quod praeceptum a vobis est de obsequio Episcopis debito? Siquidem episcopali subesse ac parere potestati nullo modo optio est, sed plane officium, idemque praecipuum constitutae divinitus Ecclesiae fundamentum.

Itaque hisce vos de rebus et laudamus magnopere et probamus. Quae autem commemoratis dolenter mala, et recte sentientibus ad praecavendum ostenditis, ex eo fere, ut prima ab origine, nascuntur quod mundani plus nimio valuere spiritus, refugientibus animis christianam consuetudinem patiendi, atque ad molliora defluentibus. Atqui conservare fidem inviolate et pro Christi causa propugnare, nisi magna et invicta a difficultatibus constantia, nemo homo potest. Dent igitur studiosius operam colendis animis quot catholicum profitentur nomen: fidei

grande munus prudentiae vigilantiaeque armis tueantur: elaborent vehementius in christianarum cultu atque exercitatione virtutum, potissimumque caritati, abnegationi, humilitati, rerumque caducarum contemptioni assuescant.

Adhortati sumus alias, comprecari Deum omnipotentem insisterent, ut ad religionem avitam universum Anglorum genus restituat: vim autem impetrandi per mores probos, per innocentiam vitae quaeri diximus oportere. Interim hodie monemus ac rogamus idem. Atque huius rei caussa propagari frequentarique piam Sodalitatem valde cupimus titulo *Mariae Matris Perdolentis*, auctoritate Nostra institutam. Ita nempe catholicos singulos convenit pro salute aliena contendere, ut studeant insimul suae, ad sanctitatem ipsimet omni ope connixi. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* (Matth. v, 16).

Ad extremum sancta sit apud nostros observantia Romani Pontificatus: ac si qui ex adversariis auctoritatem eius aut elevare dictis, aut in suspicionem adducere nitantur, eos refellant non pavidi, Venerabilis Bedae Ecclesiae doctoris obiecta sententia: *Sed ideo beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore secutus, specialiter claves regni caelorum et principatum iudiciariae potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligerent, quia quicumque ab unitate fidei, vel societate illius semetipsos segregent, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec ianuam possint regni caelestis ingredi* (Hom. lib. 16).

Divinorum munerum auspicem, benevolentiaeque Nostrae paternae testem vobis, Venerabiles Fratres, populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XI Februarii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
BARTHOLOMEO FROGET
SODALI DOMINICANO
PICTAVIVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

De ingenii doctrinaeque fructibus, quos nobis frequentes catholicorum exhibet pietas, ii profecto solent multo accidere gratiores qui ad illustranda documenta Nostra utiliter spectent. Et peculiari quidem gratia dignus est liber quem abs te nuper accepimus; in quo, ex disciplina Angelici Doctoris, divini Spiritus admirabilem in animis iustis inhabitationem dilucidâ copia exposuisti. Caput istud fidei catholicae, sane praestantissimum, piaeque consolationis abundans effectu, litteris Nos encyclicis « *Divinum illud munus* », sollertiae eorum valde commendavimus qui animis ad aeterna excolendis pro officio dant operam. Aequissimum nempe est tantarum rerum ignorationem a populo christiano plane depelli; atque adeo id enixe efficiendum

ut *altissimi donum Dei,* unde complura manant et maxima beneficia, omnes religiose studeant et noscere et diligere et implorare. Cui assequendo proposito iam adiumentum non tenue ex libro tuo esse profectum, gratulamur tibi; eoque deinceps amplius profecturum esse speramus libentes et cupimus. Tuum porro obsequium erga auctoritatem Nostram tuumque in Nos more deditissimi filii animum collaudantes, paternae benevolentiae testem et munerum auspicem divinorum, Apostolicam benedictionem tibi peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Februarii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
PETRO TIT. SS. QVATVOR CORONATORVM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI RESPIGHI
NOSTRO IN VRBE VICARIO

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Litteras accepimus a Coetu virorum catholicorum sollemnibus, ob saeculi finem, Christo Deo Redemptori honoribus habendis. His porro litteris, observantiae et pietatis plenis, supremam veluti manum Coetus ipse demandato operi imponere visus est. Nam et gratias Nobis egit de benevolenti studio quo opus illud vel ab exordiis commendavimus ac deinceps hortatione continentique laude ubique proveximus; et collatam undique a fidelibus stipem ei, qui Christi vices in terris gerit, amanter detulit. Postulat igitur a Nobis officium ut et vicissim feliciter perfectis addamus praemia, sollemnem impertientes laudationem tum tibi, dilecte Fili Noster, quo auspice cuncta sunt gesta, tum universis ac singulis qui rei prae-

clarae utilem impenderunt operam. Magna profecto laudi vestrae sunt praemia ex aucto ubique fidei et pietatis ardore; qui si cuique religionis retinenti solatium indit, vobis, ob exantlatos labores, munerum divinorum ubertatem conciliat. Horum autem munerum auspex sit Apostolica benedictio, quam tibi, dilecte Fili Noster, et universis qui in praedicto coetu numerabantur amantissime elargimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Februarii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

EPISCOPO ROFFENSI

FACVLTAS CONCEDITVR GRADVS ACADEMICOS CONFERENDI

ALVMNIS SEMINARII DIOECESANI

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romani Pontifices, sacrarum disciplinarum custodes et vindices, quae in ipsarum bonum evadant atque incrementum paterno studio comparant. Cum itaque Venerabilis Frater Bernardus Mac Quaid, Episcopus Roffensis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, instanter petierit a Nobis per tramitem Congregationis de Fide Propaganda pro dioecesano S. Bernardi Seminario facultatem conferendi gradus academicos in facultate tum theologica tum philosophica, Nos collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis, ut supra, Fidei Propagandae praepositis, attentisque expositis, ac singulari commendatione tum Metropolitani Archiepiscopi Neo-Eboracensis tum aliorum Episcoporum, Antistitis memorati preces benigne excipiendas existimavimus. Quae cum

ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, de Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, perpetuum in modum nunc et in posterum existenti Ordinario Roffensi facultatem facimus conferendi gradus academicos in S. Theologia et in Philosophia alumnis Seminarii Dioecesani S. Bernardi, qui de sua probitate atque doctrina experimenta praebuerint, his servatis adamussim conditionibus ac legibus: I. Ut unusquisque ex candidatis in supra dicto Seminario, si de Philosophia agatur, saltem per unum annum pro Baccalaureatu, per duos annos pro Prolytatu, per tres annos pro Doctoratus laurea, philosophicis doctrinis vacaverit. Si vero de Teologia sermo sit, saltem per duos annos pro Baccalaureatu, per tres pro Prolytatu, per quatuor pro Doctoratus laurea, huic sacrae disciplinae operam dederit. II. Ut opportunum subierit examen in rebus philosophicis et theologicis orale tantum pro gradibus inferioribus, orale et scriptum pro Doctoratu, praeside Episcopo, aut eius Vicario Generali, vel alio Sacerdote ab eodem Ordinario deputando, et coram tribus saltem Professoribus. III. Ut postquam candidatorum quisque dignus habitus fuerit qui Laurea decoretur, is in manibus Episcopi vel eius ut supra delegati fidei professionem iuxta formam a

fel. rec. Pio PP. IV Praedecessore Nostro praescriptam, iis additis quae in exemplari edito in vim Decreti Congregationis Tridentini Concilii decretis interpretandis praepositae sub die XX Ianuarii mensis anno MDCCCLXXVII atque heic adiuncto continentur, rite emittere teneatur. His rite persolutis, studiorumque curriculo emenso, Candidatus ab Episcopo vel eius vices gerente ex Apostolica Nostra auctoritate creabitur et declarabitur in philosophica aut respective in theologica facultate Doctor ac Magister, collatis illi omnibus et singulis iuribus ac privilegiis, quibus alii sic promoti tam in huius Almae Urbis Nostrae, quam in totius orbis studiorum Universitatibus de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet potiuntur et gaudent. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XX Martii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
SODALIBVS
CONSOCIATIONIS BRVXELLENSIS
A SCIENTIIS PROVEHENDIS
BRVXELLAS

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod, pontificatu Nostro ineunte, de sodalitate vestra fuimus ominati, id, elapso iam ab institutione eius anno quinto et vicesimo, feliciter impletum vestris ex litteris perspicimus. In provehendis enim scientiarum studiis, sive eruditorum coetus habendo sive Annalium volumina edendo, nunquam a proposito descivistis, quod coeptum fuerat ab initio, ostendendi videlicet, « nullam inter fidem et rationem dissensionem veram esse posse ». Benevolentiam Nostram ob vestras industrias testamur; simulque hortamur, ut coeptis insistatis alacres, utpote temporum necessitati opportunis admodum. Naturae enim cognitio, si recto quidem et vacuo praeiudiciis animo perquiratur, ad divinarum

rerum notitiam conferat necesse est, divinaeque revelationi fidem adstruat. Hoc ut vobis vestraque operâ quam multis accidat, Apostolicam benedictionem, munerum caelestium auspicem, sodalitati vestrae amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX Martii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
IACOBO MARIAE MONSABRÉ
SODALI DOMINICANO

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod in Abulensi tui Ordinis coetu munus tibi demandatum fuerit librum conscribendi in eorum eruditionem, quos sacris habendis concionibus destinari contingat, prudenti plane consilio decretum ducimus. Is enim rite alios recteque doceat, qui disciplinam non hausisse modo videatur, sed eam, diuturno usu et experimento, callere prorsus probarit. Te vero, praeterquam quod pietas ornat et sacrarum doctrinarum peritia, quae duo plurimum in hoc magisterio valent, exercitatio etiam et consuetudo fecerunt eum, qui ceteros merito docere queas. Quia namque ad varium et confertissimum hominum genus, longo annorum spatio, dicere e suggestu accidit, opportunitas adfuit ut, ad Dei verbum accommodate atque utiliter eloquendum quid obsit quid conferat, optime pervideres. — Tibi igitur quod demandato operi manum obedienter

adieceris gratulamur, quodque, Deo opitulante, pro spe atque expectatione perfeceris. — Temporum porro rerumque adiuncta pretium labori addunt. Nam, quod alias graviter monuimus, concionandi ratio ea profecto nonnullorum nunc est, quae nec verbi Dei dignitati nec auditorum utilitati respondet; ut iure Apostoli verbis reprehendi possint, utpote *prurientes auribus et sua, non quae Iesu Christi, quaerentes.* Faxit hoc Deus ut, qui concionandi munus suscipiunt, eo, ad unum omnes, sancte fungantur. In id volumen tuum, cuius Nobis exemplar obtulisti, egregie collaturum confidimus. Apostolicam vero benedictionem, quae tibi sit praemio fructusque ex labore tuo expectatos conciliet, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Martii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
SALERNITANAE ET LVCANAE REGIONIS
AC DILECTIS FILIIS
CATHOLICVM CONVENTVM SALERNI CELEBRATVRIS

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES AC DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Haud exiguam significationem vestrae erga Nos voluntatis habet indictus coetus de rebus catholicis Salernitanae ac Lucanae regionis, idemque, studio quo estis in Religionis incrementa succensi, non minorem apud Nos facit sui expectationem. Opportunitatem quidem operae vestrae praesens communium temporum conditio satis declarat; ineundam vero viam, ut ingruentibus malis occurratur, binae indicant, quas novissime dedimus, Encyclicae Litterae. Quibus vos inhaerentes, illud profecto agetis, ut nutanti humanae societatis aedificio angularis ille restituatur lapis, quem ausu poenitendo reprobaverunt aedificantes. Christo enim sublato, necesse est non solum publicae ac privatae fortunae extenuari spem

omnem atque evanescere, sed ipsius hominum consortii fundamenta convelli. Huc igitur erunt studia et consilia vestra conversa, qui pro Christo et pro Ecclesia strenue propugnantes, causam ipsam humanitatis assumitis. Magnae sane deliberationis opus, nec fructu vacuum futurum, si caritatis et concordiae vinculis obstringamini, praesertim per obsequium sacris pastoribus debitum, quorum ductu conventus iste vester habebitur. Alacribus coeptis addat benignissimus Deus, magnis precibus exorandus, interposito etiam potenti Mariae Virginis Matris patrocinio, ut eorum, quotquot consilio aderunt, mentes illustret, excitet animos, detque in omnibus et sapienter sentire et agere fortiter. Quorum auspicem bonorum ac paternae Nostrae benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem esse cupimus, quam omnibus et singulis in Salernitana ista urbe catholicum conventum acturis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVII Martii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
CONSTANTIO MARIAE BECCHI
SODALI DOMINICANO
PRAESIDI CONSOCIATIONIS
QVAE A ROSARIO PERPETVO NVNCVPATVR

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod Nos, abhinc quatuor annis, Litteras Encyclicas de Mariali Rosario dantes, pleni spe ominati fuimus, id non factum modo, sed feliciter in dies capere incrementa nuper a te cognovimus. Nimirum vigere adeo institutum illud, quod Rosarium perpetuum appellant, ut ad plura iam millia, in terris Italiae, catholici censeantur, qui, dies noctesque alternando, Rosarii laudatione supplicationeque perenni, divinae Matris opem sibi ac laboranti Ecclesiae studeant demereri. Id Nobis, qui Dei Matrem impense a pueris adamamus quique experiendo novimus quam utiliter in patrocinio ipsius fiducia collocetur, iucunditatem attulit maximam. Nec tibi solum de frugifero labore in id

collato laudem tribuimus; sed fideles omnes hortamur ut, precantem hanc militiam, sub divinae Matris vexillo, dato quisque nomine, capessat ac studiose exerceat. Quod ut alacrius fiat, tibi primum et universis qui Rosarii perpetui institutum vel susceperint vel sint in posterum suscepturi, Apostolicam benedictionem, munerum divinorum auspicem, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVIII Martii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IOSEPHO SEBASTIANO TIT. SS. XII APOSTOLORVM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI NETTO
PATRIARCHAE LISBONENENSI
OLISIPONEM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

In praesenti rerum acerbitate, qua Religiosorum coetus etiam apud vos premuntur, solatium Nobis attulerunt singulare virtus et industria, quibus ad eorum incolumitatem et iura tuenda naviter incumbis, in id accitis Episcopis, atque adnitentibus saeculari clero et fidelibus ex omni Lusitania. Quae et quanta sint profecto in rem cum sacram tum civilem eorumdem Institutorum merita, domi forisque comparata, non est cur multis prosequamur, quum ea non semel enucleaverimus, praesertim vero in Epistola ad dilectum Filium Nostrum Cardinalem Archiepiscopum Parisiensem data die XXIII postremi Decembris. — Illud Nobis potius cordi est, Tibi ceterisque impense gratulari,

impertiri laudes, animum addere, concordibus studiis vestris felicem ominari exitum. — Nostra sane spes in ipsa primum caussae bonitate consistit; deinde vero in coniunctione animorum arctiori, catholicos inter, in iis provehendis quae iusta et recta sunt, quaeque in patriae simul et Ecclesiae cedunt emolumentum. Haec porro ut facilius vobis et prospere Lusitaniae eveniant, benedictionem Apostolicam Tibi, Episcopis collegis tuis, utriusque ordinis clero et catholicis universis amantissime impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum ipsa die Paschatis MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
CAPITVLO PREMISLIENSI RVTHENORVM
NONNVLLA DIGNITATIS INSIGNIA
CONCEDVNTVR

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum vestigiis haerentes, viros ecclesiasticos, qui in templis maxime conspicuis divinis laudibus concinendis operam navant, ut pro habitu prodant quantum ceteris antecellant, et christianae plebis obsequium sibi magis magisque concilient, peculiarium insignium ornamento augustiores efficere solemus. Hac mente, cum Venerabilis Frater Constantinus Episcopus Premisliensis Ruthenorum enixis precibus Nos flagitaverit, ut suo Capitulo eadem dignitatis insignia largiri velimus, quibus nuper decoravimus Capitulum Premisliense Latinorum, Nos collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi de Fide Propaganda praepositis pro negotiis Ritus Orientalis, inspectis pecu-

liaribus pietatis et christianae caritatis laudibus, quibus ipsum Capitulum enitet, memorati Antistitis votis benigne annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Nostra auctoritate praesentium vi perpetuumque in modum concedimus, ut omnes et singuli nunc et in posterum existentes Capituli Cathedralis Ecclesiae Premisliensis Ruthenorum Praelati et Canonici in veste talari nigra orbiculis et globulis sericis atque ora texta itemque cingulo seu fascia, chirotecis, et tibialibus violacei coloris licite uti queant, prout Capitulum Latinorum iisdem insignibus gaudet. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die VIII Aprilis MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

A. CARD. MACCHI

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO
DIE XV APRILIS ANNO MDCCCCI

VENERABILES FRATRES

Laeta, tristia communicare vobiscum, uti par est, sueti, non ea hodie reticebimus, quibus potissimum angimur hoc tempore. Nos videlicet illa cura sollicitat vehementer, quod asperae res atque incommoda, catholico circumfusa nomini, non modo nihil remittunt, sed in dies ingravescunt: imo ex aliis in alias Europae partes velut contagione propagantur. En quippe multi simul, diiuncti spatiis locorum, consiliorum similitudine coniuncti, ad hostilia aperte descendere, quaeque hominum generi peperit Iesus Christus beneficia, non minus ingrate quam superbe respuere. Hac de caussa atque hoc animo apud gentem finitimam, non tali dignam calamitate, illatum nuper Ordinibus religiosis id bellum, cui sensim succumbant. Non commune ius, non aequitas, non laus insignis meritorum ad prohibendam cladem valuerunt. Quin etiam placuit, ne erudiri quidem iuventutem licere in posterum per eos, qui tamen tot praestantissimos viros civitati tam diu eduxerant: ac

dum large ministratur libertas suo cuique arbitrio vivendi, ea eripitur aut comminuitur iis, quibus lex est traditis divinitus consiliis, nihil violando, vivere. — Difficultates autem acerbitatesque domesticas, vix attinet recordari. Ad hanc romani Pontificis conditionem, qua nihil indignius molestiusque sit, ad iniurias ceteras quibus iam Ecclesiae attrivere opes, afflixere libertatem, aliud perniciose factum velle mox videntur adiicere, ex quo duo in primis consequerentur, christianorum sanctitudinem coniugiorum profanari, societatisque domesticae fundamenta convelli. Huc nimirum evasit de observanda religione, de moribus publicis tuendis data fides. — Similique ratione alibi gentium illud eminet maxime, quod initio monuimus, decretum inimicis esse, adoriri instituta christiana pugnacissime: eiusque rei caussâ intestinum inter eos foedus ictum putares. Argumento plura sunt, quae fieri passim compertum est: nimirum concitata multitudo, violenti clamores iactaeque in publico minae, stimulantia cupiditates populares scripta, immissae palam in res personasque verendas iniuriae. Taetrae istae sunt significationes rerum futurarum, nec abest a vero, calamitosis temporibus calamitosiora successura. Ecclesia quidem, quoscumque labores dimicationesque afferat dies, freta Deo, nec quicquam sibi metuens, excipiet ac subibit. Metuendum imperiis quae, quo progrediantur, non vident: ipsique hominum civili coniunctioni pertimescendum, quam scilicet in discrimina tanto maiora incidere necesse est, quanto longius a Iesu Christo liberatore secesserit. Respiciat, quaesumus, civitates

stator ac parens ipsarum Deus, efficiatque, affuso lumine consilii sui, ut mature sapiant cursusque iterare properent male relictos.

Splendidissimum Ordinem vestrum, Venerabiles Fratres, ut res postulat, suppleturi, eximios viros designavimus duodecim, quos romanae honore purpurae hodierno die afficeremus. Non eodem in genere illorum elaboravit industria: at virtutem vel animi vel ingenii in suo quisque munere ita singuli exercuere, ut integritate, prudentia, sedulitate officii de Ecclesia, de Apostolica Sede egregie meruerint.

Ii vero sunt:

Alexander Sanminiatelli Zabarella, Patriarcha Constantinopolitanus,

Franciscvs Della Volpe, Pontificiae Domus Nostrae Praepositus,

Quos in Consistorio habito die decimo nono mensis Iunii anno millesimo octingentesimo nonagesimo nono S. R. E. Cardinales, priorem ex ordine Presbyterorum, alterum ex ordine Diaconorum creavimus et in pectore reservavimus, atque hodie publicamus:

Donatvs Maria Dell'Olio, Archiepiscopus Beneventanus,

Sebastianvs Martinelli, Sodalis Augustinianus, Archiepiscopus tit. Ephesinus, Delegatus Apostolicus in foederatis Americae civitatibus,

Casimirvs Gènnari, Archiepiscopus tit. Naupactensis, S. R. et U. Inquisitionis Assessor,

Leo de Skrbensky, Archiepiscopus Pragensis,

Ivlivs Boschi, Archiepiscopus Ferrariensis,

Avgvstinvs Riboldi, Episcopus Papiensis,

Ioannes Kniaz de Kozielsko Puzyna, Episcopus Cracoviensis,

Bartholomaevs Bacilieri, Episcopus Veronensis,

Aloisivs Tripepi, Alter a negotiis Nostris publicis,

Felix Cavagnis, Adiutor sacri Consilii Nostri negotiis extraordinariis praepositi.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli et Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Cardinales

Ex Ordine Presbyterorum

Donatvm Mariam Dell'Olio
Sebastianvm Martinelli
Casimirvm Gènnari
Leonem de Skrbensky
Ivlivm Boschi
Avgvstinvm Riboldi
Ioannem Kniaz de Kozielsko Puzyna
Bartholomaevm Bacilieri

Ex Ordine Diaconorum

Aloisivm Tripepi
Felicem Cavagnis

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti, Amen.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE NOVI VICARIATVS
TVNKINI MARITIMI

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene prospere ac feliciter eveniant, et quae potissimum in dissitis longo terrarum marisque tractu regionibus rei sacrae procurationi melius gerendae suppetant, ea ut naviter praestemus monet Nos supremi Apostolatus munus, quo in terris, licet immeriti, fungimur. Iam vero cum Venerabilis Frater Petrus Gendreau ob nimiam extensionem Vicariatus Tunkini occidentalis suae curae concrediti instanter postulaverit, ut in duas distinctas divideretur Missiones, et novus proinde efformetur Apostolicus Vicariatus, qui sub appellatione *Tunkini Maritimi* provincias Thanh-Hoá, Ninh-Binh, montes de Chau-Laos, nec non territorium Muong de Lac-Thuy comprehenderet, Nos, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus

negotiis Propagandae Fidei praepositis, memorati Antistitis votis benigne annuendum existimavimus. Quare omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Motu proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, e Vicariatu Apostolico Tunkini occidentalis supra dictas provincias ac regiones dismembramus, novumque exinde erigimus Vicariatum, cui *Tunkini Maritimi* nomen facimus. Mandamus propterea, ut novus hic Apostolicus Vicariatus sequentibus definiatur limitibus: nempe habeat ad Septentrionem provinciam Hà-Nam et regionem montanam Lac-Tho, ad Orientem flumen Dài et sinum Tunkinensem, ad Meridiem provinciam Nghian Tunkini meridionalis, et ad Occidentem Vicariatum Laocensem. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus

et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XV Aprilis MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
PETRO TIT. SANCTISSIMAE TRINITATIS IN MONTE PINCIO
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI COULLIÉ
ARCHIEPISCOPO LVGDVNENSI
LVGDVNUM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Bina a te volumina accepimus, quibus ea continentur ordine digesta quae in Mariali Lugdunensi coetu, superiore anno, sapienter sunt acta. Nos, qui cogendo coetui fausta quaeque amantissime precati fuimus, iucunditate maxima ex oblatis libris agnovimus quam rite in eo ac feliciter evenerint omnia. De quo tibi primum, dilecte Fili Noster, tum ceteris qui coivere, vestroque omnium in sanctissimam Dei Matrem studio laudem tribuimus. Dein vero oramus enixe ut communi operi et labori fructus ne desint uberes. Infesta heu nimium religioni et civitati tempora elabuntur. Magni igitur interest ut fidelium pietas in eam quotidie augescat, quae christiani populi Mater tute-

laque est praestantissima. Faveat optatis Nostris Virgo respiciens, clementique obtutu Apostolicam benedictionem fecundet, quam, auspicem divinorum munerum, Tibi et universis qui in coetu adfuerunt peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Aprilis MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
MODERATORIBVS ET ALVMNIS
SACRORVM SEMINARIORVM
ECCLESIAE MEDIOLANENSIS
MEDIOLANVM

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Obsequii pietatisque testificationem nuper vos, ex auspiciis sancti Leonis Magni, unis animis praebuistis, qua delectati admodum sumus. Optabile quidem tanti viri, simul cum nomine et dignitate, referre posse eximia in rem christianam et civilem promerita, quae vestra epistola exornavit: certe Nos in lucem exemplorum eius religiose inspicimus. Pergratum vero est, vos quoque in ipsum omni religione et admiratione affici; idque etiam est gratum quod vosmet, tum eloquentiam ipsius collaudantes, tum missis ad Nos bonis litterarum fructibus, palam profitemini, ne illum quidem exquisitiorem humanitatis cultum, qui alumnos sacri ordinis plane condecet, iusta commen-

datione apud vos carere. Nam a litteris quantum mutuentur luminis, efficacitatis, ornamenti sacrae doctrinae studia, satis ostendit ipsa constans Ecclesiae disciplina, eiusdem rei tam provida, tamque uberi scriptorum excellentium foetu praeclara. Id nimirum causae fuit quamobrem optimas litteras praecipuo Nos quodam amore, vel maximas inter curas, semper coluimus, easdemque in clero adolescente provehere, auctoritate adiumentisque, contendimus. Ipsi igitur diligenter ut facitis pergite institutam a maioribus viam, sicut in ceteris doctrinis ita in litteris, tenere rectam; cauteque habete vos ad novitates, quae in hoc item genere facile ingenia allectant dulcibus vitiis, et nocere plus unâ causa possunt. Sic alma ista clericorum domicilia, in quibus Caroli sanctissimi impressa nitent vestigia et fere spirat anima, omnibus disciplinis et, quod caput est, solida in Deum atque in hanc Petri Sedem pietate floreant et praecellant. Feliciter fiat ut expectationi Ecclesiae matris sollertiaeque Archiepiscopi et moderatorum cumulate respondeant. Haec, dilecti filii, habete pro vestris in Nos votis vota paternae Nostrae caritatis; eaque ad eventum optato adducat Apostolica benedictio, quam singulis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Aprilis MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

PETRO

ARCHIEPISCOPO TARENTINO

TARENTVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quamvis non ita pridem litteras dedimus, quibus tibi ceterisque regionis istius Episcopis gratularemur ob coetum Aletium cogendum, gratulationes tamen iterare libet postquam, ex vestris nunciis, coetum ipsum feliciter dimissum cognovimus. Quod enim Episcopi magno numero convenerint, id eorum tribuimus voluntati, hortationibus optatisque Nostris cupide obsecundanti. Quamobrem, quam singuli promeruere laudem, laeti ultro impertimus. Vestris autem propositis ut annuat Deus, eaque in creditarum dioecesium utilitatem fecundet, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, ceterisque Episcopis, qui Aletium coiverunt, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Aprilis MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

DECRETVM

DE CONCESSIONE IN COMMENDAM
DIACONALIS ECCLESIAE
SS. VITI MODESTI ET CRESCENTIAE

—

Oblatis Sanctissimo Domino Leoni PP. XIII precibus, RR. PP. DD. Patriarchalis Basilicae Liberianae Canonici, annuente E. V. Vincentio S. R. E. Presbytero Cardinali Vannutelli Episcopo Praenestinensi, praefatae Basilicae Archipresbytero, humiliter postularunt, ut attentis peculiaribus meritis E. V. Francisci a Paula S. R. E. Presbyteri Cardinalis Cassetta, titulo S. Chrysogono, in insignem Ecclesiam SS. Viti, Modesti et Crescentiae Diaconiae titulo et dignitate insignitam, quae Ecclesiae Liberianae Basilicae ad Parochialia officia subsidiariam vicem praestat, eamdem Ecclesiam seu Titulum diaconalem, actu vacantem, praedicto E. V. Francisco a Paula S. R. E. Cardinali Cassetta in Commendam dare et attribuere Apostolica auctoritate dignaretur. — Sanctitas Sua, omnibus mature perpensis, iustisque causis animum suum moventibus, oblatas a RR. PP. DD. Canonicis Basilicae Liberianae preces benigno favore prosequendas duxit, atque Apostolica auctoritate E. V. Francisco a Paula S. R. E.

Presbytero Cardinali Cassetta Tit. S. Chrysogono Ecclesiam seu titulum diaconalem SS. Viti, Modesti et Crescentiae in Commendam cum adnexis iuribus et praerogativis concessit, commisit et assignavit, ut eiusdem Diaconiae Commendatarius sit et nominetur, firmo tamen eiusdem Ecclesiae usu quoad parochialia favore Basilicae Lateranae, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Ad huius porro concessionis, commissionis et assignationis effectum voluit Sanctitas Sua hoc Consistoriale Decretum edi, perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis hac super re emissae fuissent, et inter acta referri Sacrae Consistorialis Congregationis.

Datum Romae die XXVIII Aprilis, anno Domini MDCCCCI.

† Carolvs Patriarcha Constantinopolitanvs
S. C. Cons. *Secretarius.*

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
SANCTVARIVM B. MARIAE VIRGINIS DE ROSARIO
IN VALLE POMPEIA
AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS
EVEHITVR

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Iam nemini dubium esse potest, quin dives in misericordia Deus, qui omnia nos habere voluit per Mariam, templum augustum in valle Pompeia positum voluerit esse locum, ubi Virgo Genitrix sua semper et in precibus et in optatis et in votis exorantibus fidelibus occurreret, suorumque munerum thesaurum eis ibi aperiret atque effunderet. Id siquidem luculente testantur tabellae et vota, quae in gratiarum actionem suspensa templo dependent; testantur susceptae undequaque ad Sanctuarium peregrinationes magna frequentia; testatur fons nunquam exhaustus catholicae liberalitatis, qua illud brevi annorum spatio fuit inchoatum et nunc est quasi absolutum. Praetermittimus autem omne genus ornamenta, quibus muni-

ficentia mirabili ad maiorem Virginis gloriam est adauctum, et catholicae caritatis aedificationes, quae circa templum ad pueros puellasque, parentum solatio destitutos, recipiendos alendos sunt extructae. Nos sub ipsa Nostri Pontificatus exordia ad Vallem Pompeiam quasi ad spectaculum pietatis et fidei in populo christiano, Deo volente, reviviscentis oculos et cogitationes convertimus, et non semel Nostras de eodem Sanctuario sollicitudines curasque significavimus vel quum idem sacris muneribus privilegiisque augeremus, vel quum templi auctoribus et curatoribus benevolentiae Nostrae deferremus testimonia. Nunc vero ut magis cognitum perspectumque sit qua voluntate quantoque studio illud B. M. V. a Sanctissimo Rosario Sanctuarium prosequamur, instantibus eiusdem festis anniversariis, maiori illud titulo et dignitate decorandum censuimus. Quapropter, quod bonum, felix, fortunatumque sit, Mariae Virginis gloriae et christianorum saluti bene vertat, templum B. M. V. a Sanctissimo Rosario dicatum, in Valle Pompeia situm, Apostolica auctoritate Nostra, praesentium vi, Basilicae Minoris titulo perpetuum in modum augemus, illique omnia et singula iura, privilegia, honores, indulta, praerogativas conferimus, quae minoribus almae huius Urbis Basilicis de iure et consuetudine competunt. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque

iudices ordinarios vel delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die IV Maii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA

AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS CANADENSES

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Allatum est Nobis sacrorum Antistites Canadensis Regionis, collatis liberaliter pecuniis, stabiles aedes in urbe Octaviensi Delegato Nostro copioso sumptu comparasse, ubi ille, tamquam in proprio domicilio, pro sua dignitate, resideret. — Haud equidem Nos latebat quo studio atque observantia egregii isti Praesules Apostolicam hanc Sedem prosequerentur: verum ceteris, quas hac de re accepimus, pluribus praeclarisque significationibus novum nunc, illudque Nobis iucundissimum, testimonium accedit. Hanc autem animorum cum Apostolica Cathedra coniunctionem eo libentius commendamus, quod ut ea Nobis in tam trepidis undequaque rebus solatio est, ita ab ea maxime rei catholicae pendent vigor atque incrementa. Quapropter gratos animi Nostri sensus illis omnibus testatos volumus, qui ad stabiles aedes Delegato Nostro in Canadensi

regione, honoris causa, constituendas operam contulerunt; cuius in eum obsequii participes etiam accepimus meritissimos Patres Sulpicianos Provinciae Canadensis. Benevolentiae autem Nostrae pignus et caelestium munerum auspicem, universis oblatoribus Apostolicam benedictionem ex animo impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x Maii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

DE

COHORTE PROTECTORVM LATERIS PONTIFICIS

CENTESIMO EXEVNTE ANNO

AB EIVS INSTITVTIONE

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Saecularis eventus faustitas, quae nobilem cohortem vestram hisce diebus laetitia merito perfundit, non ita cadit in rationem rerum vestrarum, ut Nos etiam quodammodo non attingat, et ad iucundos animi sensus non commoveat. Respicientes enim Nos spatium praeteriti temporis, et memoria repetentes varia rerum eventa, quae huic Apostolicae Sedi, Deo volente, vel secunda vel adversa acciderunt, animadvertimus vestros in munere decessores, quorum non pauci erant vobiscum cognatione et affinitate coniuncti, in assignata sibi a Pontifice statione digne permansisse. Enimvero undevigesimo ineunte saeculo, cum nonnulli Quiritium Optimates, quo obsequium studiumque suum difficillimis Ecclesiae tem-

poribus Romano Pontifici testarentur, enixe peterent a regnante Decessore Nostro Pio VII, ut se in numerum veterum excubiarum adsciscere vellet, et ille Pontifex libenter eorum optatis obsecundans in locum praetoriae Equitum turmae eos nobiles viros volens lubensque sufficeret, repente foeda illa tempestas coorta est, qua fortuna Apostolicae Sedis, mox ad pristinum decus et splendorem reditura, iacuit aliquandiu inclinata ac pene eversa. Id temporis, ut memoriae posterorum proditum est, novi Equites, licet in militia tyrones, illustre dederunt specimen fidelitatis et virtutis: maluerunt enim in Urbanam Arcem, quasi mancipia, detrudi, quam ab observantia desciscere, et fidem Pontifici semel datam violare. Cuius quidem laudis nemo vestrum est, dilecti filii, qui non sentiat quodammodo se esse participem, ideoque vos omnes saecularia istiusmodi solemnia, velut gentilitia sacra, laeti factitatis. Quae virtus et fides in posterioribus etiam rebus gestis et in recentioribus Ecclesiae acerbitatibus et luctibus luculenter apparuit, et Nos pro certo habemus fore ut unusquisque vestrum, si res postulet, eamdem religionem Nobis, eamdem fidem servet, ac maiores vestri praestiterunt et paris virtutis edat exempla. Ad Nos quod attinet, Decessorum Nostrorum supra dicti Pii VII, Leonis XII, Gregorii XVI et Pii IX, qui ordinem vestrum non paucis auxere iuribus et honoribus, vestigiis insistentes, volumus ut etiam per Nos aliqua vobis honorum fiat accessio. Quapropter ne memoria huius fausti eventus, ut assolet in rebus humanis, cito intereat, singulari mnemosyno vos

omnes donandos censuimus, quod vobis de Petri Cathedra, de Nobis egregie semper meritis, paternam etiam benevolentiam Nostram cumulate testetur. Volumus igitur et Apostolica Nostra auctoritate decernimus, ut proprium confletur ex argento numisma, cuius adversa pars Nostram imaginem referat dextrorsum respicientem, aversa duos habeat oleae et quercus ramos, quibus in mediis legatur titulus: « - *Leo XIII P. M.* - *Custodibus. Corporis. Nobilibus* - *Anno C.* - *Ab. Eorum Cohorte* - *A. Pio VII. Dec. Suo* - *Constituta* - ». Peculiari huiusmodi honoris insigni, quod a taenia serica, alternis distincta lineis caeruleis et rubris, dependeat, decoretur pectus Protectorum omnium Nostri lateris, et eorum nimirum, qui hoc honorifico munere funguntur, et eorum, qui illo, dum sivit aetas, perfuncti sunt. Haec ultro concedimus, non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XI Maii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

A. CARD. MACCHI

DECRETVM

QVO

SINGVLARE SACRVM INSIGNE

PIE IN PALAESTINAM PEREGRINANTIBVS DECORANDIS

INSTITVITVR

—

Inter asperas rerum vices, quas hac nostra aetate Ecclesia perfert, non deest benignissimum divinae providentiae consilium opportuna praebere remedia, atque indefectibilem fidei vigorem novis etiam incrementis promovere. Haec inter revirescentis christianae pietatis indicia non immerito accensetur renovatum passim postremis hisce temporibus studium sacratiora orbis christiani loca piis peregrinationibus obeundi. Qua in re illud singulare accidit ut iam non singuli modo, sed consociatae etiam certa disciplina frequentissimae hominum multitudines sacra itinera suscipiant. Prae ceteris vero locis, peculiari quadam vi ad se animos mentesque fidelium convertit sacra Palaestinensis regio, quam ipse Unigenitus Dei Filius, factus homo, suae mortalis vitae mysteriis, cruento mortis sacrificio, suaque gloriosa resurrectione sanctificavit. Quae quidem sacra loca pie invisere sine ubere fructu nemo potest; habent ea nimirum, quum coram conspiciuntur, magnam virtutem ad commovendos animos, vividiusque excitatis suavissimis humanae redemptionis memoriis, desideria potenter erigunt ad eam sectandam vitae

rationem, quae sanctissimis Christi Redemptoris exemplis atque doctrinis consentiat.

Quapropter Summus Pontifex Leo XIII, gloriose regnans, qui pro suo apostolico munere quaecumque ad religionis incrementa pertinent sollicita cura complectitur, ad hoc tam salutare palaestinensium itinerum fovendum studium, providissimum consilium inivit, per Decretum sacri huius Consessus Christiano Nomini Propagando exequutioni mandandum, peculiare quoddam instituendi insigne, quo apud pios palaestinenses peregrinos suscepti semel itineris facilius perennetur, cum memoria, fructus. Hoc vero sacrum insigne formam crucis, quam hierosolymitanam dicunt, referat hunc in modum excudendam. Ex una parte, in ipsa crucis intersectione parvum effingatur numisma, ubi haec verba inscribantur: « Leo XIII creavit anno MCM ». In crucis vero tractibus insculptum habeatur Annunciationis B. M. V. mysterium, tum Nativitatis Christi, eius Baptismus, Coena Eucharistica; atque in extrema Cruce legantur verba: « Christi amor Crucifixi traxit nos ». Ex adverso vero latere, habeatur media in crucis parte Christi Redivivi imago, per tractus vero exprimatur Redemptor in horto orans, flagellis caesus, spinis coronatus, cruci suffixus; extrema vero crucis inscripta verba referant: « Signum sacri itineris hierosolymitani ».

Pendeat autem hoc insigne, in sinistro pectore gerendum, ex taenia serica coloris rubri, in media parte quatuor lineis caeruleis virgata; extrema ora hinc illic candida, lutea interiecta linea.

Huiusmodi vero cruces aliae ex aere, aliae ex argento, aliae ex auro conflabuntur, diribendae singulis prouti cuiusque fuerit vel in civitate locus, vel in peregrinis ducendis gradus, vel in sacris Terrae Sanctae locis beneficio afficiendis meritum. Quisquis autem eo loci bis saltem pie peregrinatus fuerit, argentea cruce donetur.

Huius sacri insignis conferendi ius et cura esto apud Hierosolymitanum Terrae Sanctae Custodem, qui illud Summi Pontificis nomine, adiecto diplomate, tradet vel privatim singulis, vel, si multos coniunctim confluere peregrinos contingat, publico aliquo solemniori ritu adhibito. Nemo autem hac decorari cruce queat, quin litteras testimoniales proprii parochi exhibeat, ab Ordinario signatas, de honestis moribus et de suscepta pietatis studio hierosolymitana peregrinatione. Decem insuper argenteorum eleemosyna pro sacris illis locis eidem Terrae Sanctae Custodi tradatur, addito pretio crucis, quam quisque acceperit.

Hoc vero deferre insigne quis tantum possit in sacris solemnitatibus aut in piis peragendis processionibus vel peregrinationibus, aut coram Summo Pontifice.

Haec, de mandato Sanctitatis Suae, praesenti firmantur Decreto, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum ex Aedibus eiusdem S. Congr. de Propaganda Fide, die 11 Maii 1901.

M. Card. LEDOCHOWSKI

L. Veccia, *Secretarius.*

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
HVBERTO
ARCHIEPISCOPO COLONIENSI
COLONIAM AGRIPPINAM

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Inter consociationes, de religiosa re praestantissime meritas, quas catholicorum virorum studia per Germaniam fundandas curarunt, sodalium numero ac dignitate nec non utilitate propositorum eminet sane illa, quae, abhinc annis xxv instituta, Iosephi Goerres, religionis et ecclesiasticae libertatis adsertoris egregii, appellatione honestatur. Eius enim ea princeps lex est ut, contra fidei osores, tueatur fortiter modisque omnibus evincat nullam rationem inter et fidem dissensionem veri nominis posse intercedere, quam quidem legem sanctam sodalibus fuisse semper, ea probant profecto, quae viginti quinque annorum spatio propediem implendo, laboriose utque utiliter gesta constitutave fuerunt. In his, ut praecipua innua-

mus, necessaria catholicis hominibus ad victum praebita, qui, sui vitaeque securi, scientiis excolendis se penitus darent; libri, magno numero, de omnigenis disciplinis in lucem editi; ephemerides de philosophia atque historia, acri iudicio, pervulgatae; eruditorum collegium, ad Hospitium Teutonicum Romae institutum, qui Tabularii Nostri documentis usi Ecclesiae acta illustrarent. — Iure igitur sodales, post exactos tot annorum labores, benevolentiae Nostrae significationem postulant atque expectant. Nos vero, gratulati ex animo de emenso feliciter fructuoseque cursu, consociationi universae sodalibusque singulis laudationem promeritam libentissime impertimus, impense hortantes, ut constanter alacriusque in dies insistant coeptis. Ad augendam porro celebritatis laetitiam, quae IV kalendas Iunii peragetur, Apostolicam benedictionem, caritatis Nostrae testem ac munerum divinorum auspicem, Goerresianis sociis, quotquot per Germaniam censentur, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIII Maii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IOSEPHO SEBASTIANO TIT. SS. XII APOSTOLORVM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI NETTO
PATRIARCHAE OLYSIPPONENSI
AC VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
REGNI LVSITANIAE

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Gravissimas inter curas, quibus in dies magis angimur ob indictum hinc illinc Religiosis Ordinibus bellum, incredibili Nobis solatio fuit communis epistola, egregia quidem et dignitatis plena, quam, pro pastoralis officii munere, incolumique in Principis Maiestatem observantia, ad Fidelissimum Regem vestrum nuperrime dedistis. Nihil enim iucundius Nobis contingere poterat, Venerabiles Fratres, quam alacres vos concordesque conspicere, cum in tuendis Regularium coetibus, tum in adserenda eorum neces-

sitate ac utilitate; ideoque nihil modo gratius, quam vestra probare studia, vestramque operam meritis laudibus honestare. — Nec sane mirum, si recens decreta contra Religiosas Sodalitates, a vobis, non tantum qua Ecclesiae praesulibus, sed etiam qua Lusitanis civibus improbentur: aperte siquidem patet ea tum Ecclesiae ac singulorum fidelium, de vitae statu eligendo, iuribus opponi, tum civilem societatem defraudare non paucis iisque praestantibus adiumentis, quae ex Religiosis Institutis eidem civitati obvenire vel ipsi decretorum auctores non ambigue fatentur.

De conditionibus vero a Lusitano regimine inductis, ut sese Religiosae Familiae servare queant, quid profecto sentiendum sit, id vos, Venerabiles Fratres, egregie edixistis. Illud tamen prae oculis habendum, ex Ecclesiae catholicae disciplina, nullum existere et vigere posse Regularem Ordinem, sublatis tyrocinio ac votis; hinc leges cuiusque Instituti proprias cum civilis regiminis praescriptionibus, ita, si forte necessitas exigat, esse componendas, ut non modo Religiosorum dignitas salva consistat, verum, quod magis est, ipsius sacri ordinis natura integra sit atque incolumis.

Vestrum sane erit, Venerabiles Fratres, collatis viribus consulere, quonam pacto damnis et periculis occurri valeat, quae religiosa premunt Sodalitia; quave ratione eorumdem conservationi aptius penes vos prospiciendum. Convenit nempe ut Sedes Apostolica id communi eorum industriae ac iudicio deferat, quibus datum est mentem

voluntatemque civilis potestatis, rerum locorumque adiuncta, propius ac penitius nosse et perpendere. Ceterum, nec ipsa deerit Apostolica Sedes, quae Regularibus e suo domicilio distractis tempestivam vivendi rationem, per idoneas normas dispensationesque, definire curabit.

Pergite igitur, Venerabiles Fratres, religionis ac civitatis caussam strenue tueri: quod eo tantum pacto feliciter eveniet, si certam et conformem publice agendi rationem vestris fidelibus indicetis; si omnem curam impendatis in coniungendas augendasque catholicas vires, in ephemerides et consociationes, quae Ecclesiae iura propugnent, provehendas; si voluntatum consensionem, maxime a Nobis expetitam, posthabitis privatis sententiis et politicarum partium studiis, inter vos sedulo concilietis ac foveatis indesinenter.

Auspicem denique superni auxilii, Nostraeque testem benevolentiae, vobis, Venerabiles Fratres, Lusitanis fidelibus universis, atque in primis Regularium Ordinum asseclis, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Maii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS NOSTRIS

CYRIACO S. R. E. PRESBYTERO CARD. SANCHA

ANTONIO MARIAE S. R. E. PRESB. CARD. CASCAJARES

SALVATORI S. R. E. PRESB. CARD. CASAÑAS

IOSEPHO MARIAE S. R. E. PRESB. CARD. MARTIN DE HERRERA

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII NOSTRI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Libenter admodum comperimus Matritum vos, superiore mense februario, convenisse; in eoque coetu unanimes iniisse consilia de iungendis catholicorum voluntatibus ac viribus in religionis publicaeque rei utilitatem. Opportunum id sane propositum ac patriae vestrae temporibus quam maxime accommodatum! Quare, dum illud laude pariter et gratulatione dignum existimamus, cupimus etiam ut nulla exequendo mora inferatur. Quam ob rem, quamvis sacrae Purpurae decus, quo ceteros Hispaniae Antistites antecellitis, opportunitatem praebeat vobis expediendae rei; Nos tamen id proprie vobis negotium per hasce litteras demandamus. Quoniam vero Episcoporum

per Hispaniam omnium et pietatem novimus in Apostolicam Sedem et studium in gregem cuique creditum; fiduciam certam fovemus, fore ut optato concordiae operi alacrem universi adiiciant animum. Quod ut in religionis patriaeque bonum feliciter cedat, vobis, dilecti filii Nostri, Episcopis collegis vestris, clero atque populo cuique commisso Apostolicam benedictionem, munerum divinorum auspicem, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Maii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO RELIGIOSO VIRO
PAVLO DELATTE
O. S. B. ABBATI SOLESMENSI

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nos quidem et novimus et alias laudavimus positam a vobis intelligenter operam in scientia eorum concentuum sacrorum, de quibus memoriae est proditum ad magnum Gregorium referendos esse auctorem. Similique ratione non potest Nobis non probari vester ille in conquirendis vulgandisque veteribus de eo genere monumentis tam operose tamque constanter insumptus labor. Quorum laborum fructus varios videmus iis consignatos voluminibus nec sane paucis, quae Nobis grato admodum munere diversis temporibus misistis, quaeque late iam, ut accepimus, in luce atque oculis hominum versantur, ac multifariam quotidiano recipiuntur usu. Omnino quidquid suscipitur studii in hac illustranda augendaque rituum sanctissimorum comite atque adiutrice

disciplina, dandum laudi est, non solum propter ingenium et industriam, sed etiam, quod longe maius, propter speratum divini cultus incrementum. Siquidem gregoriani concentus prudentissime sunt sapientissimeque ad illuminandum verborum sententias inventi, atque inest in eis, si modo adhibeantur perite, magna vis et mirifica quaedam mixta gravitati suavitas, quae facile illapsa audientium in animos, pios ciere motus cogitationesque salutares alere tempestive queat. Quotquot igitur sunt, praesertim ex alterutro ordine Cleri, qui se posse aliquid in hac vel scientia vel arte sentiant, pro sua quemque facultate elaborare omnes convenit sollerter et libere. Salva quippe caritate mutua et ea, quae debetur Ecclesiae obtemperatione ac reverentia, multum prodesse multorum in eadem re studia possunt, ut vestra ad hanc diem.

Divinorum munerum auspicem, itemque paternae benevolentiae Nostrae testem tibi, dilecte fili, sodalibusque tuis Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Maii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
THOMAE LVDOVICO EPISCOPO NAMVRCENSI
NAMVRCVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ea disciplinae ratio quae adolescentes, in sacris praesertim seminariis, sic vult ad litteras institui ut, praeter exemplaria veterum graeca et latina diligenter versanda, etiam clariores e christianis scriptoribus cognoscant et quanti dignum est faciant, non caret profecto sua laude; quod ipsum alias Sedes Apostolica per occasionem significavit. Tali quidem adductum esse consilio virum ex ista dioecesi egregium, L. Guillaume canonicum, epistola Nos tua certiores fecit, eumque iamdiu sollertiae et laboris multum, adscitis sociis, impendere in conficienda evulgandaque librorum serie, quae scriptores nostros cum ethnicis suo quemque genere collatos exhibeat. Hanc dono ab iis missam libentes accepimus, ac de pietatis officio habemus gratiam: de ipsa vero opera, illud eisdem optamus

quod tam studiose spectant, ut nimirum iuventuti ad culturam ingenii maximeque animi proficiat. In quo tamen moderatoris ducisque opus est prudentia; neque ea certe defutura est, tuis evigilantibus curis. Tunc enim certius uberiusque res proficiet, quum alumni iam sibi facultatem scribendi et iudicii elegantiam satis paraverint, ex eorum scilicet praeceptis atque exemplis qui, probe nosti, ipso testimonio usuque Sanctorum Patrum exploratâque fructuum perpetua copia, omnis humanitatis iure habentur magistri optimi. Cauto igitur studio fiet ut ea quae alumni sacrorum, dicendo vel scribendo, de religione efferant, utrâque optabili laude commendentur, et pie permoventis animos veritatis et aptae tantis rebus dignitatis. Iamvero caelestium auspex bonorum, eademque benevolentiae Nostrae testis sit tibi, Venerabilis Frater, Apostolica benedictio, quam singulis etiam commemorati propositi sociis, itemque clero ac populo tuo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Maii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO

REUBEN PARSONS

PRESBYTERO

NEO-EBORACVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Senis voluminibus, quae nuper edita ad Nos misisti, duplicem assequutus es laudem et utramque merito: alteram alacris ingenii magnaeque eruditionis, alteram incensi studii ad catholicum nomen ab osorum calumniis vindicandum. Mens tibi in operoso labore exantlando ea unice fuit, ut, depulsis erroribus ex historia quaesitis, facilius qui dissident ad catholica sacra adducantur. Hanc tibi mentem, dilecte fili, fortunet Deus; nihil enim optatius Nobis est quam ut omnes unico Christi ovili, quotquot eius sanguine redempti sunt, contineantur. Quo vero officii gratiam rependamus, Apostolicam benedictionem, Nostrae tibi caritatis testem, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX Maii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
FRANCISCO KAULEN
ANTISTITI VRBANO
BONNAM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ab Hermanno Herder, tuo nomine et collegarum tuorum, accepimus exemplar Lexici ecclesiastici seu Encyclopediae disciplinarum theologicarum, nuper, secundis curis, editi. Magnae quidem molis opus, at maioris meriti; quod, auspice primum Iosepho Hergenroether S. R. E. Cardinali, eoque vita functo, tuo ductu tuisque industriis, eruditis magno numero viris adlaborantibus, post quinquaginta ferme annorum spatium, demum in lucem prodiit. Gratulamur quidem diuturnum laborem feliciter exactum; magis tamen exacti operis pretium dignitatemque gratulamur. Praeterquam enim quod omnia in eo copiose docteque disputantur; in tam varia frequentique materia nihil, prout ex testimonio peritorum comperimus, occurrit, quod

a recta traditaque doctrina discedat. Tuo igitur sociorumque tuorum studio id estis assequuti, ut non exiguam ecclesiasticis disciplinis utilitatem attuleritis. Namque huius generis opera quamvis non eo pertineant, ut quae ab Ecclesiae Patribus ceterisque scriptoribus nec non a scholasticis doctoribus elucubrata sunt praeteriri unquam possint; nemo tamen inficiari queat, in quotidianum usum opportuna esse maximeque utilia haec veluti promptuaria, in quibus ecclesiasticae totius eruditionis summae quaedam prostent atque compendia. Tibi ergo tuisque in labore sociis amplissimam impertimus laudem. Testem vero benevolentiae Nostrae vobis et Hermanno Herder editori Apostolicam benedictionem amantissime elargimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Maii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
PRAEFECTVRA APOSTOLICA
A LITORE AVREO NVNCVPATA
IN VICARIATVM APOSTOLICVM ERIGITVR

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigia prementes, quae in catholici nominis incrementum evadant sollicito seduloque studio comparare satagimus. Iamvero cum, sicuti ad Nos relatum, status catholicae rei in Praefectura Apostolica a Litore Aureo ad sinum Guineae in Africa occidentali iam summopore suadeat advenisse tempus, quo utiliter eadem Praefectura in Vicariatum Apostolicum erigatur; Nos collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, erectionem huiusmodi decernendam existimavimus, quo exinde firmitas religionis iam obtenta in illis plebibus uberiorem amplitudinem ex perfectiore ecclesiastici regiminis ratione suscipiat. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, peculiari

benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Praefecturam Apostolicam a Litore Aureo ad sinum Guineae in Africa occidentali, iisdem servatis limitibus, in Vicariatum Apostolicum erigimus et constituimus, cui a Litore Aureo nomen facimus. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die xxv Maii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

A. Card. MACCHI

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

PRAEFECTVRA APOSTOLICA DAHOMENSIS

IN VICARIATVM APOSTOLICVM ERIGITVR

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Apostolatus supremi munus Nobis divinitus commissum postulat, ut iis quae rei sacrae procurationi melius gerendae faciant sollicito seduloque studio consulamus. Hoc consilio statuimus confinia Dahomensis Missionis ad sinum Guineae in Africa occidentali ita esse reformanda, ut omnino eadem essent ac limites actualis Gallicae Coloniae nominis eiusdem; nunc autem considerantes fructus propagationis verae fidei ab Alumnis Societatis Lugdunensis pro Missionibus ad Afros in praefata regione ipsis commissa, Deo opitulante, iam obtentos, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, censuimus, ut Dahomensis Missio, memorata ratione constituta, a Praefectura Apostolica in Vicariatum Apostolicum erigatur. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae

favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Praefecturam Apostolicam Dahomensem ad sinum Guineae in Africa occidentali, servatis iisdem limitibus quibus constat actualis Colonia Gallica, in Vicariatum Apostolicum erigimus et constituimus, illique Vicariatus Apostolici Dahomensis nomen tribuimus. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancelleriae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXV Maii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS NOSTRIS
ANDREAE S. R. E. PRESB. CARD. FERRARI
ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI
AVGVSTINO S. R. E. PRESB. CARD. RIBOLDI
ARCHIEPISCOPO RAVENNATENSI
ET VENERABILIBVS FRATRIBVS
EPISCOPIS PROVINCIAE ECCLESIASTICAE MEDIOLANENSIS

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII NOSTRI ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Conventui vestro, cui cogendo fausta adprecati fuimus, nunc iam feliciter peracto gratulamur ex animo. Ut enim ex vestris litteris comperimus, conveniendi caussa ex vobis praecipua fuit, ut quae postremis Litteris encyclicis de christiana democratia ediximus suggessimus, opportune implenda pervideretis. Optimum sane studium, nimiumque tempori necessarium; quum nempe socialistarum dogmata latius in dies pervadunt animos, gravesque civitati atque fidei ruinas parant! Populorum vestrorum ardor in Iubilaei sacri muneribus adipiscendis faciliorem

industriis vestris nunc sternit viam. Quo vero divina etiam praesidia perutilem vobis laborem fortunent, Apostolicam benedictionem, Nostrae caritatis testem, vobis gregibusque vestris amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I Iunii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
DOMINICO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI SVAMPA
ARCHIEPISCOPO BONONIENSI
BONONIAM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Plane cohaeret cum votis Nostris significatum a te consilium de templo istic condendo, quod Iesu Christi Redemptoris augusto Cordi, tamquam commune pietatis ineunte saeculo monumentum, a cuncta dioecesi tua dedicetur. Optimum quidem sanctumque consilium. Quantum Redemptori obsequii, honoris, gratiarum debeant universi, quantum caritatis reposcat mira vis caritatis eius, quantumque addeceat studium de iniuriis errantium fratrum ei sarciendis; haec utinam quotidie amplius et cognitione et re illustrentur. At praeterea, aerumnis usquequaque prementibus, videre late licet ut omnes levationem anxie quaerant et sitiant pacem; nec multi vero eam inde petere studeant ubi vere et abunde inest, in Corde divino

miserentis Iesu. Ad ipsum Cor gentes catholicas supplici-ter adire poenitentes. fidentes, saepius Nos atque enixe iussimus: Eidemque universum humanum genus singulari ritu devovere placuit, meliorum rerum in spem. Iure igitur, dilecte fili Noster, propositum tuum collaudamus, teque libentes hortamur aggredi ad rem ipsam ne dubites. Probe Nos populi tui compertam habemus pietatem ala-cresque animos in egregia: hoc praesertim quasi certa-mine ubique inito ad honores memores Redemptori con-secrandos, ibi nempe splendidius pateat opera, ubi tam praeclarae flammae prima scintilla erupit. Optatum ad exitum conducat etiam quaedam de nostro aere collatio, et, quod pluris est, benedictio Apostolica in auspicium rei a te expetita; quam item omni clero ac populo tuo peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I Iunii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

V. C. HERBERTO STORY PRAEFECTO ET VICE-CANCELLARIO
ITEM RECTORI DOCTORIBVS
ATQVE AVDITORIBVS VNIVERSITATIS STVDIORVM GLASGVENSIS
(GLASGOW)

—

LEO PP. XIII

Iucundas scito Nobis communes litteras vestras fuisse. Memoriam beneficiorum colere, multoque magis ferre prae se palam ac libere, virtus est non humilia nec angusta sentientis animi: atque istiusmodi virtutem libet quidem in vobis agnoscere, studiorum optimorum ingeniique decora praeclare cumulantem. Quod enim Lyceum magnum, ubi vestra omnium desudat industria, debet Apostolicae Sedi origines suas, idcirco sub solemnia eius saecularia ad romanum Pontificem vestra provolavit cogitatio memor, atque ultro arcessivistis Nosmetipsos in laetitiae societatem, tamquam desideraturi aliquid, si voluntatis Nostrae significatione in hoc tempore caruissetis. Equidem gratum habemus facimusque plurimi tale officium humanitatis cum iudicii aequitate coniunctum. Memoriâ autem vetera repetentes, utique diversamur apud

vos animo per hos dies, reique tam utiliter a Nicolao V Pontifice maximo institutae cogitatione delectamur. Quo quidem instituto certe magnus ille decessor Noster de Scotorum genere immortaliter meruit; praetereaque et ipse in aperto posuit, romani pontificatus virtutem in elegantiam doctrinae, in studia ingenuarum artium, quibus maxime rebus alitur humanitas gentium, ad incrementum suapte natura influere. Cetera istud maiorum disciplinarum nobile domicilium constanter florere cupimus salutarium ubertate fructuum et gloria nominis: Deumque omnipotentem comprecamur, ut doctos labores vestros omni in genere ad veritatem dirigere, vosque universos perfecta Nobiscum caritate coniungere benigne velit.

Datum Romae apud S. Petrum die IX Iunii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

AL SIGNOR CARDINALE LUCIDO MARIA PAROCCHI
VESCOVO DI PORTO E SANTA RUFINA
VICE-CANCELLIERE DI S. R. C.

Signor Cardinale,

La carità Apostolica che Ci tiene continuamente solleciti dell'intero Ovile di Gesù Cristo, Ci muove altresì a peculiarissime cure verso la città di Roma, centro della fede cattolica e sede propria del Nostro Episcopato. Perciò appunto, non appena fummo Noi consapevoli, con immenso rammarico, essersi qui moltiplicati gli emissarî dell'eresia e con raddoppiati sforzi farvi libera propaganda, tosto Ci adoperammo a tutto potere per rimuovere pericolo sì funesto. Fra gli altri provvedimenti usati all'uopo, con Nostra lettera del decorso anno Ci piacque d'encomiare e raccomandare l'*Opera*, di fresco iniziata, *della Preservazione della Fede;* nè cessammo poscia di promuoverne Noi stessi l'attività e l'efficacia. E consolanti in vero sono i frutti che essa, la Dio mercè, con varî modi di vigile sollecitudine vien raccogliendo. Ma perchè cotali frutti aumentino ognora e rispondano al

bisogno crescente, è al tutto desiderabile che l'importanza dell'Opera sia viemeglio e più ampiamente conosciuta, e che tutti i buoni le siano volenterosamente larghi di ogni favore. A raggiungere questo scopo si credè opportuno che da un membro del sacro Collegio se ne tenesse pubblico ragionamento: e Noi approvammo il pensiero. E poichè, Signor Cardinale, tale incarico venne affidato al suo zelo e alla sua dotta facondia, Noi siamo lieti di augurarle che la virtù della sua parola possa persuadere ognor più ed eccitare gli animi ad abbracciare con alacrità una causa sì santa e che Ci è grandemente a cuore. Faccia sì il pietosissimo Iddio che questa Roma, la città di Pietro, la città dei Martiri, custodisca sempre mai integra, invitta, operosa la fede de'padri suoi, splendidamente lodata già dall'apostolo Paolo, quando ad essi scriveva: *Gratias ago Deo meo... quia fides vestra annuntiatur in universo mundo* [1].

Sia auspice de' Nostri voti la benedizione Apostolica, che a lei, Signor Cardinale, e a quanti converranno ad udirla di gran cuore impartiamo.

Dal Vaticano il dì 10 Giugno 1901.

LEO PP. XIII

[1] Rom. 1, 8.

CHIROGRAPHVM

DE

CANCELLARIAE ET DATARIAE VACABILIBVS

Al Signor Cardinale Mariano Rampolla del Tindaro
Nostro Segretario di Stato.

Signor Cardinale,

Al compimento delle riforme richieste dalle presenti circostanze, e con la Nostra approvazione già in gran parte introdotte nei Dicasteri Ecclesiastici di Cancelleria e di Dataria, opponendosi l'esistenza degli Ufficî Vacabili, i cui possessori nel massimo numero mancano di qualsiasi titolo oneroso e correspettivo verso la Santa Sede, crediamo opportuno di ordinare, come nell'esercizio della Nostra suprema potestà ordiniamo, che dal 1° del p. v. Luglio, cessi qualunque riparto delle tasse ed emolumenti soliti a distribuirsi fra i varî Vacabilisti. A coloro intanto che fin ad ora si avvantaggiarono di questo riparto, e che non più tardi del Dicembre dell'anno corrente presenteranno i titoli comprovanti la natura e la provenienza dei Vacabili da essi posseduti, ci riserbiamo di provvedere, salva sempre la cessazione di ogni e qualunque Vacabile di Cancelleria e di Dataria, secondo le norme

di giustizia e di equità, a tenore dei diversi casi. Al quale effetto deputiamo una speciale Commissione che si adunerà in Vaticano, composta dai Monsignori Luigi Pericoli, Agapito Panici, Francesco Spolverini e Ludovico Schüller, coadiuvata dagli Avvocati Cesare Guidi e Carlo Patriarca come Consulenti, la quale avrà il compito di riconoscere i titoli summenzionati e proporre i congrui provvedimenti.

Commettiamo poi a Lei, Signor Cardinale, conferendole tutte le facoltà necessarie ed opportune, di dare piena esecuzione a questa Nostra volontà. La incarichiamo inoltre di comunicare il presente Chirografo ai Cardinali Vice-Cancelliere e Pro-Datario, i quali, come altresì il Depositario Generale ed i Cappellani de' singoli Collegî, restano con questo Nostro Atto esonerati da ogni ingerenza nella materia dei Vacabili, che a Noi direttamente avochiamo, derogando a qualunque contraria disposizione. Ai due sunnominati Cardinali apparterrà solamente il regolare gli effetti di quanto da noi qui si prescrive, nei loro rispettivi Ufficî, dovendo cessare col giorno 1° Luglio p. v. qualunque versamento nella Cancelleria e nella Dataria delle tasse ed emolumenti di sopra menzionati.

E mentre Le partecipiamo questa Nostra volontà, Le impartiamo di cuore la benedizione Apostolica.

Dato a Roma presso S. Pietro il giorno 11 Giugno 1901, del Nostro Pontificato anno vigesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IACOBO TIT. SANCTAE MARIAE TRANS TIBERIM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GIBBONS
ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSI

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Studium, quo, vel ab inito Pontificatu, foederatarum Americae civitatum Ecclesiam complexi fuimus, illud etiam suasit Nobis, ut Lyceum magnum quamprimum Washingtoniae condi urgeremus, conditum vero confirmaremus auctoritate Nostra omnique benevolentia. Quod enim requirebant tempora, id Nobis maxime cordi fuit; ut videlicet iuvenes, qui in cleri spem educarentur, virtutibus quidem primum, tum tamen etiam divinis humanisque disciplinis quam optime imbuerentur. — Quae porro de Washingtoniano Lyceo subinde accepimus, non irritam fuisse fiduciam Nostram ostendebant: illud autem laetiora modo capere incrementa tum ob largitatem catholicorum, tum ob decurialium doctorum peritiam et aucto-

ritatem, tuae litterae testantur, quas nuperrime dedisti. — Unum restare adhuc videtur, ut nobile Institutum auditorum etiam frequentia floreat; quod sane ex Episcoporum industria atque studio expectandum est. Qui si, missis Washingtoniam alumnis, carere forsan utilitate aliqua, in sua quisque dioecesi, ad tempus videbuntur; at longe maius capient emolumentum, tum sibi tum universae Americanae Ecclesiae, dum clerus una eademque doctrina, uno eodemque spiritu informetur. — Haec Nos ex voluntate bona sperantes, qua vos Ecclesiarum vestrarum commoda decusque contenditis; tibi, dilecte Fili Noster, Rectori, doctoribus, alumnis Washingtonianae Universitatis Apostolicam benedictionem, Nostrae caritatis testem, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIII Iunii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

DECRETVM

DE ERECTIONE INSIGNIS COLLEGIATAE ECCLESIAE SANCTI STEPHANI IN CIVITATE RHODIGIO

—

Apostolica Sedes, quoties fausta eidem se praebuit occasio, nunquam destitit ea decernere ac sua auctoritate communire, quae ad divinum cultum augendum, et ad ecclesiastici ordinis in sacro ministerio operam promovendam opportuna videbantur. Cum itaque plures e civitate Rhodigio pii et benefici fideles, incensi Religionis studio, prona liberalitate subsidia opemque contulerint eum in finem, ut vetus Ecclesia Collegiata insignis, honori sancti Stephani in eadem civitate Rhodigio dicata, quae temporum adversitate e suo splendore defecerat, ad pristinam dignitatem revocaretur, et Sanctissimo Domino Nostro Leoni PP. XIII, nomine totius cleri et populi eiusdem civitatis, enixe supplicatum fuerit, ut praedictam Ecclesiam veteri honori restituere, ibique novum Canonicorum Collegium instituere dignaretur; Sanctitas Sua, me referente infrascripto Secretario Sacrae Congregationis rebus consistorialibus praepositae, cunctis matura deliberatione perpensis, paternae suae caritatis et sollicitudinis

testimonium praebere cupiens erga Clerum et populum Rhodiginum, attenta Ecclesiae sancti Stephani veteri dignitate, eiusque amplitudine, instructu et ornatu, quae omnia ad Collegiatae decus habendum eam peropportunam reddunt, oblatas preces benigne excepit, ac de Apostolicae potestatis plenitudine insignem Collegiatam Ecclesiam sancti Stephani in civitate Rhodigio instaurandam, atque adeo de novo erigendam et constituendam censuit in eum qui sequitur modum:

I.

Decrevit itaque in primis Sanctitas Sua, ut Ecclesia honori sancti Stephani martyris in civitate Rhodigio dicata, quae iam Collegiatae titulo et honore, uti asseritur, potiebatur, parochialis tamen uti prius extitura, ad insignis saecularis Collegiatae gradum et honorem sub invocatione eiusdem sancti Stephani cum Capitulo, stallo, choro, mensa capitulari, sigillo, aliisque privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, concessionibus et gratiis, quibus aliae insignes Collegiatae etiam parochiales legitime, non tamen ex indulto particulari vel titulo oneroso fruuntur, evehatur et attollatur.

II.

In eadem Ecclesia sancti Stephani ad insignis Collegiatae saecularis honorem, ut praefertur, evecta unum

Archipresbyteratum liberae collationis, cui animarum cura, prout antea adnexa erit, per concursum iuxta sacrorum Canonum praescripta conferendum, qui prima erit Capitulo dignitas, et tam in Choro et Capitulo, quam in processionibus aliisque sacris officiis et functionibus sive publicis sive privatis praeeminentiam habebit, et unum Archidiaconatum qui secunda erit Capituli dignitas, nec non quinque alias canonicales praebendas et quatuor choralia Beneficia seu mansionarias, ut vocant, eadem Sanctitas Sua constituit et erexit.

III.

Animarum cura in paroecia sancti Stephani Archipresbyteratui, uti prius, iuncta erit; ita ut Archipresbyter pro tempore sit eiusdem paroeciae verus et proprius parochus, Curionis munia per se ipsum, quantum fieri possit, diligenter ac sollicite obeat, Missamque pro populo diebus festis etiam reductis applicare teneatur.

IV.

Archipresbytero autem, Archidiacono et Canonicis non minus quam Beneficiariis seu Mansionariis, Sanctitas Sua iuxta sacros Canones, onus iniunxit apud Collegiatam personaliter residendi, nec non collegialiter quotidie celebrandi Missam conventualem pro benefactoribus in genere, itemque recitandi et canendi in Choro divinum officium,

horas canonicas, aliaque obeundi sacra ministeria iuxta veteris Collegiatae consuetudinem. Missa conventualis celebrabitur cum cantu diebus ferialibus ritus duplicis primae et secundae classis; diebus autem festis de praecepto Missa solemni ritu celebranda erit.

V.

Insuper Archidiaconatui et quinque Canonicatibus, praeter communia onera, haec quae sequuntur, respective adiecta erunt: Archidiaconus nempe pro tempore, quolibet anno Missas viginti in suffragium defunctae Theresiae Durazzo celebrabit; tertio Canonicatui, theologali appellato, et a sancta Theresia nuncupando, onus incumbet lectiones de Sacra Scriptura decies saltem in anno tradendi; quarto Canonicatui cura paroeciae sanctorum Francisci et Iustinae adiicietur; quinto Canonicatui, a sancto Michaele Archangelo appellando, onus incumbet adiutricem operam conferendi Archipresbytero pro tempore tum in parochialibus functionibus peragendis, tum in Sacramentis administrandis; sextus vero Canonicatus iuris patronatus Archipresbyteri pro tempore, uti asseritur, munus habebit Missam quotidie celebrandi, libera applicatione, in puellarum conservatorio, quod in civitate Rhodigio exsistit, et a sacratissimo Corde Iesu nomen habet; septimo tandem Canonicatui, qui a sancta Catharina nomen assumet, obligatio erit quotidie Missam vel per se vel per alium in Ecclesia sancti Francisci celebrandi. E Benefi-

ciariis primas, qui mansionariam praebendam Tombini obtinebit, Archipresbytero parocho in animarum cura, ubi opus erit, auxiliariam operam praebebit; secundus, cui mansionaria Veronese attribuetur, functionibus in Ecclesia peragendis adiutricem operam impendet. Duobus aliis propria munera, prout opus erit, executor infra designandus, assignabit.

VI.

Praebendarum autem ratio ad Capitularium sustentationem, et onerum ipsis incumbentium implementum ab executore huius decreti constituenda, singulis e collegiali Capitulo pro diversis eorum gradibus congrua et distincta iuxta singulorum beneficiorum naturam, onera et redditus, servatis Tridentinae Synodi praescriptionibus, assignanda respective erit, atque in actis peractae executionis, quae ad hanc sacram Congregationem Consistorialem transmittenda erunt, exacte describenda erit.

VII.

Ut vero aedes templi sancti Stephani in Ecclesiam Collegiatam ut supra erecti, in suo statu conserventur et reficiantur, ibique divinus cultus rite et decore exerceatur, Fabricae ac Sacrario eiusdem Ecclesiae iussit Sanctitas Sua ex reditibus Capituli vel Ecclesiae ipsius ab executore certam summam attribui et assignari, qua necessariis expensis in praedictum finem opportune et pro Collegiatae Ecclesiae dignitate provideatur.

VIII.

Archipresbytero, Archidiacono et singulis Canonicis pro tempore existentibus insignis Collegiatae Ecclesiae sancti Stephani, ut supra, erectae, Sanctitas Sua pro maiori ipsius Ecclesiae ornamento atque divini cultus splendore, eadem concessit insignia, quibus ante haec postrema tempora legitime fruebantur; indulsit nempe ut praedictus Archipresbyter, Archidiaconus et Canonici, praesente Episcopo, diebus festis et solemnioribus rochetum cum cappa et Cruce aurea ad instar stellae, ex cordula serica aureis filis intexta pendente; absente autem Episcopo, diebus ferialibus rochetum cum penula et Cruce ut supra, tam in dicta Collegiata Ecclesia quam extra eam in processionibus aliisque sacris functionibus, ac inter Missarum, horarum canonicarum, aliorumque divinorum officiorum celebrationem, intra limites tamen Adriensis dioecesis, servatis servandis deferre atque gestare licite possint ac valeant.

IX.

Cum iuxta sacri Concilii Tridentini decreta, fundatoribus seu Patronis in Beneficiorum erectione peculiaribus iuribus frui tribuatur, Sanctitas Sua benigne annuens Patronorum postulationibus, eis benigne indulsit, ut pro prima tantum vice in hac veteris Collegiatae restitutione seu erectione eiusdem Collegiatae Ecclesiae, Canonici,

attentis personarum dotibus seu qualitatibus, ab iisdem Patronis nominari possint ac valeant, firmis ac salvis, quoad futurum tempus, Cancellariae Apostolicae regulis, ac sacrorum Canonum dispositionibus.

X.

Indulsit praeterea et Apostolica auctoritate impertivit Sanctitas Sua, ut in qualibet collatione Canonicatuum seu Beneficiorum praedictae Collegiatae Ecclesiae investitura ac immissio in possessionem, aut a R. P. D. Episcopo Adriensi pro tempore personaliter, aut a digniore vel seniore Capituli eiusdem Collegiatae Ecclesiae detur ac tribuatur, ex assensu tamen et deputatione eiusdem Adriensis Episcopi.

XI.

Facultatem quoque sic erecto Capitulo insignis Collegiatae Ecclesiae sancti Stephani concessit Beatitudo Sua, statuta, ordinationes et decreta sacris Canonibus, Concilio Tridentino et Apostolicis constitutionibus consona, pro eiusdem Collegiatae, Sacrarii et Fabricae aliarumque rerum ac bonorum prospero felicique statu ac regimine, itemque pro onerum respective incumbentium implemento, horarum canonicarum ac divinorum officiorum celebratione, chori disciplina, et poenarum per absentes aut negligentes contrahendarum impositione condendi; quae quidem

Episcopo Adriensi subiicienda erunt et ab eodem necessario approbanda.

XII.

Deinde Sanctitas Sua hodiernis beneficiorum possessoribus respective iuxta eorum preces, benigne indulsit; R. D. Ernestum Vallini, Archipresbyterum veteris collegiatae, in Archipresbyterum et parochum noviter erectae insignis Collegiatae Ecclesiae sancti Stephani cum dispensationibus necessariis, esse et permanere, itemque conferri R. D. Aloisio Bigon actu parocho Ecclesiae sanctorum Francisci et Iustinae quartum Canonicatum, cui cura eiusdem paroeciae adnexa est, et R. D. Lucianum Pavanello beneficium chorale seu Mansionariam Tombini nuncupatam obtinere, quam actu habet. Quoad vero Archidiaconatus, et aliorum Canonicatuum provisionem et collationem, Sanctitas Sua benigne indulgere et impertire iuxta preces dignata est, ut pro hac prima vice tantum ad Archidiaconatum aliosque Canonicatus, ut supra, ab eorumdem fundatoribus et Patronis personae congruis qualitatibus praeditae nominentur, salvis vero quoad futuras vacationes, et rite servatis Sacrae Cancellariae regulis, et Apostolicis constitutionibus.

XIII.

Cum vero Canonicatus a Sacratissimo Corde Iesu nuncupatus, uti asseritur, sit iuris Patronatus Archipresbyteri

pro tempore; super eo Canonicatu concessit et tribuit Sanctitas Sua, ut nihil hoc decreto innovetur.

XIV.

Quoad vero Canonicum theologum in praedicta Collegiata Ecclesia deputandum et instituendum, Sanctitas Sua, iuxta preces, pro hac vice tantum, Canonico theologo deputando dispensationem a concursu benigne concessit et indulsit, derogatione facta Constitutioni et declarationi Benedicti XIII, anno MDCCXXV editae, cuius initium *Pastor officii.*

XV.

Ut vero supra dicta omnia suum rite obtineant effectum, eadem Sanctitas Sua executionem huius decreti perinde valituri ac si Litterae Apostolicae sub plumbo vel in forma Brevis super praemissis expeditae fuissent, commisit Eminentissimo Viro Iosepho S. R. E. Cardinali Sarto Patriarchae Venetiarum, cum omnibus facultatibus opportunis et necessariis, etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque personam in ecclesiastica dignitate constitutam, nec non definitive pronuntiandi super quacumque controversia in actu executionis huius decreti quomodolibet oritura, cum adiecta obligatione intra tres menses mittendi ad hanc sacram Congregationem Consistorialem exemplar, authentica forma exaratum, executionis peractae, mandavitque praesens edi Consistoriale

Decretum, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, illudque referri in acta huius sacrae Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, die XIV Iunii MDCCCCI.

† CAROLVS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS
S. C. Cons. *Secretarius.*

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

PETRO GERAIGIRY

PATRIARCHAE GRAECO-MELCHITAE

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Litteris datis die XXI Iulii MCM ad omnes Episcopos inclitae Nationis graeco-melchitae enixe commendavimus Nationalis Concilii celebrationem, in quo de sacra hyerarchia, de praelatorum iuribus et officiis, de recta fidelium administratione, de cleri disciplina, de monachorum institutis, de cultus divini decore, de sacra liturgia, de cognatisque rebus ageretur ad maiorem Dei gloriam procurandam et ecclesiae graeco-melchitae splendorem augendum. — Quum vero paucis abhinc diebus acceperimus, tres ecclesiasticos viros, quibus Episcopi munus conficiendi decretorum *schema* demandarunt, opus suum absolvisse, certa Nobis spes est, fore ut exoptata Synodus quantocius celebretur. — Quae cum ita sint, Fraternitati Tuae per praesentes Litteras summopere commendamus, ut, nulla interiecta mora, Nationale Concilium indicere velit, in quo ecclesiae graeco-melchitae Episcopi, omnibus rite perpensis et ad trutinam revocatis, ea suffragio

suo decernant ac sanciant, quae catholicae doctrinae magis consentanea et ad ecclesiasticam disciplinam instaurandam aptiora in Domino videbuntur. — Praeterea ad augendam Concilii Nationalis dignitatem, duos praeclaros viros, Gaudentium Bonfigli, Vicarium Apostolicum Aegypti, et Hildebrandum Hemptinne, Benedictinae familiae Abbatem Primatem, in publicis comitiis adesse volumus; munus vero eidem Synodo praesidendi Fraternitati Tuae omnino reservatur. Tuum deinde erit Synodi Acta, antequam in vulgus exeant, Apostolicae Sedis approbationi, ut moris est, opportune subiicere.

Eximia pietas et sapientia, qua Fraternitas Tua caeterique praelati graeco-melchitae ornantur, clare portendunt, omnia in Synodo rite processura, concordi sedulitate ac perfecta animorum consensione, uti muneris episcopalis officium et rei gravitas et Nationis decus et divinae gloriae incrementum omnino expostulant. Faxit Deus, bonorum omnium largitor, ut huiusmodi labores consociatis viribus initi, in Ecclesiae emolumentum et Nationis graeco-melchitae splendorem cedant.

Interea, caelestium munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem, tibi, Venerabilis Frater, universoque clero et populo graeco-melchitae Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xv Iunii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
IOANNI
ARCHIEPISCOPO SANCTI PAVLI DE MINNESOTA
PAVLOPOLIM DE MINNESOTA

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quinquaginta annorum spatio feliciter emenso, ex quo Paulopolitanae civitati honor episcopalis Cathedrae delatus fuit, iure catholicorum istorum animi laetitia gestiunt, parantque gratias Deo agere celebritate maxima. Praeteriti enim temporis memoriam repetentibus obversantur nascentis istius ecclesiae primordia, exigua illa quidem atque humilia; fideles namque ad centena aliquot numerabantur nec nisi terni erant sacerdotes, qui sacra administrarent. At modo, Paulopolitana Sedes ad archiepiscopalem evecta, senas dioeceses obnoxias habet; omnesque non modo cleri ac fidelium frequentia, verum etiam pietate et catholicis institutis in exemplum florent. Libenter igitur, Venerabilis Frater, laetitiam vestram vobiscum

communicamus; quasque vos Deo Optimo Maximo gratias acturi estis, easdem et Nos agemus, enixe implorantes ut qui vobis exordia uberrime fortunavit, laetioribus in dies incrementis augeat. Quia vero non ignoramus hanc rerum conditionem solatii plenam, maximam partem, deberi tibi, qui Paulopolitanae ecclesiae iam triginta et sex annis impendis operam; gratulamur navitati tuae, eaque quam sit etiam in posterum strenue factura iucunde ex hactenus actis praecipimus. Interea, testem caritatis Nostrae ac munerum divinorum auspicem tibi, Episcopis, clero ac fidelibus Paulopolitanae provinciae Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Iunii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

DECRETVM

QVO

DIOECESI SVESSONIENSI AC LAVDVNENSI IN GALLIIS

TITVLVS SANQVINTINENSIS ADIICITVR

—

Reverendi Domini Parochus, Vicarii, aliique sacerdotes, nec non plurimi fideles civitatis Quintinopolis in Gallia Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII obsequiose exposuerunt, civitatem Quintinopolitanam longe antiquam esse, eamque in Christi fide excultam fuisse praedicatione et laboribus beati martyris Quintini, qui Roma oriundus, genere patricio, anno post Christum natum CCXCVI in praedicta civitate mortem pro Christi nomine oppetiit, et in ipsa incliti sepulcri honore decoratus est. Significarunt insuper eamdem civitatem antiquitus, uti fertur, Augustam Veromanduorum dictam, postquam ad sepulchrum beati martyris innumera patrata sunt miracula, Episcopalis Sedis honore insignitam fuisse, pluresque commemorarunt huius Ecclesiae Episcopos, qui eam doctrina et sanctitate nobilitarunt.

Hisce expositis, iidem oratores ampliorem sancto Quintino suae civitatis Patrono honorem exhibere cupientes, Sanctitati Suae humiliter supplicarunt, ut dioecesim Sues-

soniensem et Laudunensem, intra cuius limites civitas Quintinopolis comprehenditur, Sanquintinensis nomine insignire dignaretur.

Sanctitas Sua ad mei infrascripti Secretarii Sacrae Congregationis rebus Consistorialibus praepositae relationem, omnibus mature perpensis, attenta nobilitate et dignitate iuxta oratorum expositionem civitatis a sancto Quintino nuncupatae, ad memoriam praedicti incliti martyris sancte conservandam atque honorem eius augendum, ad vota cleri et populi Quintinopolitani explenda, quibus R. P. D. Victoris Augustini Deramecourt hodierni Suessoniensis et Laudunensis Episcopi favor accessit, Apostolica auctoritate benigne annuit, ut dioecesis quae Suessoniensis et Laudunensis hactenus in Republica Galliarum nuncupata fuit, deinceps in posterum etiam Sanquintinensis titulum sumere, eoque uti possit ac valeat, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque; mandavitque in hanc rem praesens expediri Consistoriale Decretum, cuius executionem committi voluit eidem Suessoniensi et Laudunensi Praesuli, et Decretum ipsum referri inter Acta sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, die XXI Iunii MDCCCCI.

† Carolvs Patriarcha Constantinopolitanvs
S. C. Cons. *Secretarius.*

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
IOSEPHO MOSER, IOANNI BRUNNER, RVDOLFO HORNICH
IOSEPHO BONELL
SOCIETATIS MAGISTRORVM CATHOLICORVM
IN AVSTRIA MODERATORIBVS

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Cum, haud ita pridem, aliquot vestrum admissione Nostra donati essent, magna animi iucunditate comperimus societatem vestram, exiguis initiis ortam, eo brevi excrevisse ut spem optimam faciat amplissimae utilitatis. Nunc vero ex litteris, quas, indicto Vindobonae conventu, ad Nos dedistis, adeo sodalium frequentiam auctam cognovimus, ut ad quatuor iam millia numerentur. — Est quidem coetui vestro vel ex ipso consociatorum numero tribuenda laus. Attamen maior atque uberior commendationis ratio in proposito quaerenda est, quod unanimes prosequimini, imbuendi videlicet pueriles animos non rerum solummodo cognitione huius vitae usibus inservientium, verum im-

primis virtutibus ac pietate christiano nomine dignis. Quo plane studio haud minus vos reipublicae quam religionis prosperitati egregie consulitis; cum exploratissimum longe sit, neminem bonum civem futurum, qui Numinis cultor fideique retinens non fuerit. Infesta quidem sunt tempora, adversoque flumine eundum. At macti estote animo; nihil enim grande pro Deo patriaque geritur, nisi fortitudine et constantia comite. Ut vero coeptis industriisque vestris adsit divinorum munerum largitas, Apostolicam benedictionem, Nostrae caritatis testem, vobis et universae consociationi vestrae amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Iunii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

AI DILETTI FIGLI
I SUPERIORI GENERALI
DEGLI ORDINI ED ISTITUTI RELIGIOSI

LEONE PP. XIII

DILETTI FIGLI
SALUTE ED APOSTOLICA BENEDIZIONE

Le religiose Famiglie ebbero in ogni tempo da questa Sede Apostolica particolari testimonianze di amorevole e provvidente sollecitudine, sia nei giorni di ubertosa pace e sia molto più in quelli di aspra contraddizione, quali corrono al presente per voi. La gravità delle offese che in alcune nazioni furono recentemente fatte agli Ordini ed Istituti da voi diretti, sommamente Ci addolora. E ne geme la santa Chiesa; perchè, oltre ad essere vulnerata al vivo ne'suoi diritti, risente gran detrimento nella sua azione, la quale si esplica con l'opera concorde dell'uno e dell'altro Clero: in verità chi le tocca i sacerdoti o i religiosi, tocca la pupilla degli occhi suoi. — Quanto era da Noi, voi lo sapete, non lasciammo intentato alcun mezzo che valesse a cessare da voi una persecuzione cotanto indegna, non meno che a salvare quelle nazioni da sì

acerba e immeritata sciagura. A tal fine già in più occasioni abbiamo caldeggiata a tutto potere la vostra causa in nome della religione, della giustizia, della civiltà: ma sperammo invano che le Nostre rimostranze fossero ascoltate. Appunto in questi giorni in una nazione singolarmente feconda di vocazioni religiose, alla quale usammo sempre peculiarissime cure, furono dai pubblici poteri approvate e promulgate leggi di eccezione, a scongiurar le quali avevamo, son pochi mesi, levata la Nostra voce. — Noi, memori dei sacrosanti Nostri doveri, sull' esempio di illustri Nostri Predecessori, riproviamo altamente cotali leggi, contrarie al diritto naturale ed evangelico, e alla costante tradizione, di associarsi liberamente ad un genere di vita non pure onesto in se stesso ma santo; contrarie egualmente al diritto assoluto della Chiesa di fondare Istituti religiosi esclusivamente dipendenti da essa, i quali la coadiuvano nel compimento della sua missione divina, arrecando grandi beneficî nell' ordine religioso e civile; e questi ridondano a particolare vantaggio di quella nobilissima nazione.

Ora secondando un intimo impulso, Ci piace aprire a voi il Nostro cuore paterno, nel desiderio di darvi e riceverne santa consolazione; e col proposito di porgervi insieme opportuni documenti, acciocchè duriate ognor più saldi alle prove, e ne raccogliate copioso merito innanzi a Dio e agli uomini. — Tra le molte ragioni di conforto che scaturiscono dalla fede, rammemorate, diletti figli, quella parola solenne di Gesù Cristo: *Beati estis quum male-*

dixerint vobis, et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me [1]: improperî, calunnie, vessazioni v'incoglieranno, *per causa mia;* allora *beati voi.* Per quanto infatti si vogliano moltiplicare pretesti di accusa a deprimervi, emerge di per sè la deplorevole realtà. Vera cagione è l'odio capitale del mondo contro la *città di Dio*, che è la Chiesa cattolica; e l'intento vero mira ad espellere, se possibile fosse, dal seno della società l'azione restauratrice di Cristo, sì salutarmente e universalmente benefica. Non è chi non sappia che una porzione eletta della città di Dio sono i religiosi dell'uno e dell'altro sesso: giacchè sono essi che più particolarmente rappresentano in sè lo spirito e la mortificazione di Gesù Cristo; essi che con la osservanza dei consigli evangelici tendono a portare le virtù cristiane ai fastigi della perfezione; essi che in molteplici modi recano assai valido aiuto alla Chiesa. Epperò non è meraviglia che contro di essi, come in altri tempi e con altre inique arti, imperversi ora la *città del mondo,* massime quella parte che con sacrileghi patti è più strettamente avvinta al *principe* stesso *di questo mondo,* e più servilmente gli ubbidisce. Pur troppo nei loro disegni lo sbandeggiamento e l'estinzione degli Ordini religiosi è un'abile mossa a condurre innanzi il meditato proposito dell'apostasia delle nazioni cattoliche da Gesù Cristo. — Ma se è così, di voi con tutta verità può dirsi: *Beati estis:* giacchè non per altro siete invisi e perse-

[1] Matth. v, 11.

guitati se non pel genere di vita che in ossequio a Cristo liberamente vi eleggeste. Se voi seguiste i dettami e le voglie del mondo, non vi darebbe egli alcun travaglio, anzi vi colmerebbe de' suoi favori: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret:* ma perchè camminate opposti a lui totalmente, eccovi affronti e guerra: *Quia de mundo non estis,... propterea odit vos mundus* [1]. Così vi prenunziò Cristo medesimo: ond' è che egli tanto più si compiace in voi e vi predilige, quanto vi ravvisa più a sè conformi in patire per la giustizia. E voi, *communicantes Christi passionibus, gaudete* [2]: aspirate alla virtù di quei grandi i quali *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati* [3].

A quella gloria che vi proviene dal testimonio della coscienza [4], s' aggiungono, ancorchè da voi non cercate, le benedizioni di tutti i buoni. Questi veracemente solleciti della comune pace e prosperità, stimano non esservi tanto onesti cittadini, devoti e utili alla patria, quanto gli ascritti alle Congregazioni religiose: e stanno trepidanti al pericolo di perdere in voi tanta copia di vantaggi oltremodo preziosi. È una moltitudine di indigenti, di derelitti, di infelici, a cui benefizio sono da voi promosse e sostenute svariate istituzioni, con intelletto e carità ammirabile. Sono padrifamiglia, i quali per lo innanzi

[1] Ioann. xv, 19.
[2] I Petr. iv, 13.
[3] Act. v, 41.
[4] II Cor. i, 12.

vivevano sì tranquilli sull' educazione religiosa e morale dei figli, affidandoli a voi: chè mai forse in verun' altra età fu così necessaria un' educazione sana, vigorosa, feconda di virtù forti. Sono sacerdoti, i quali hanno in voi ottimi ausiliari nei loro gravi e laboriosi ministeri. Sono uomini d'ogni ordine, i quali in tempi di tanto pervertimento cercano guida e stimolo a ben fare dal consiglio vostro, avvalorato dall' autorità dell' esempio. Sono principalmente sacri Pastori, i quali vi onorano della loro fiducia; vi reputano esperti istitutori del clero adolescente; e riconoscono in voi i veri amici *dei fratelli e del popolo* [1], che offrono per essi alla clemenza divina preghiere ed espiazione incessanti. Ma niuno più di Noi, che dall' alto di questa Sede dobbiamo vegliare sulle necessità della Chiesa universa, può giustamente apprezzare le insigni benemerenze delle Famiglie religiose. Già in altri atti ne facemmo peculiare menzione. Ci basti ora encomiare il singolare ardore che li fa sì alacri, non che ai cenni, ai desiderî del Vicario di Gesù Cristo, qualunque opera di cristiana e civile utilità sia da intraprendere, in qualsivoglia benchè inospita plaga, a costo pure d' infiniti patimenti, e ancor della vita; come parecchi gloriosamente lo comprovarono negli ultimi rivolgimenti di Cina. E se Noi serbiamo tra i più cari ricordi del Nostro lungo pontificato, d' avere con la Nostra autorità elevati all' onore degli altari non pochi Servi di Dio, ricordiamo altresì con

[1] II Machab. xv, 14.

gaudio che la maggior parte di quelli furono appunto fondatori od alunni di regolari Istituti.

Nè, a maggiore conforto, possiamo tacervi come tra gli uomini stessi del secolo, per grado e civile prudenza cospicui, non mancano animi retti e imparziali che si levino a commendazione delle opere vostre, e a difesa del vostro diritto inviolabile di cittadini e della vostra libertà anche più inviolabile di cattolici. Certo è che ad occhio scevro di passioni non può sfuggire quanto sia improvvido ed ignobile atto fare ingiuria a persone, le quali nulla sperando, nulla cercando per sè, si spendono tutte a curare ogni maniera di bene nelle classi sociali. Si consideri l'opera dei religiosi, anche solo nella solerte industria di crescere nei figli del popolo i germi buoni di natura, che altrimenti intristirebbero a proprio e altrui danno. Li prevengono essi con la fède e la grazia, li guardano, li coltivano pazienti, indefessi; e così ne maturano il discernimento del vero, l'amore dell'onesto, il sentimento del dovere, la fermezza del carattere, la generosità del sacrifizio: frutti, come ognun vede, inestimabili per l'ordine pubblico e per la floridezza degli Stati.

Ma intanto, poichè la malignità del mondo vi osteggia a tal segno, che pur conculcando in voi le ragioni più sacre, s'argomenta di fare opera degna ed utile, *arbitretur obsequium se praestare Deo* [1], adorate, diletti figli,

[1] Ioann. xvi, 2.

in umiltà confidente i consigli di Dio. Se talora ei lascia soccombere alla violenza il diritto, non lo fa che ad alti intendimenti di bene; e di più suole per inopinate vie soccorrere potentemente a chi soffre per lui e in lui si affida. — Dispone egli traversie e contraddizioni a quelli segnatamente che per particolare istituto professano la perfezione cristiana; al fine, come v'è ben noto, non solo di cimentare e rassodare la loro virtù, ma di ritemprarne altresì e rinvigorirne gli spiriti che non di rado s'affievoliscono nella calma diuturna. Vogliate pertanto corrispondere degnamente alle sue mire paterne. Datevi con raddoppiato ardore a una vita di fede, di preghiera, di sante opere: vigoreggino in mezzo di voi la disciplina regolare, l'unione fraterna dei cuori, l'alacrità dell'umile ubbidienza, la rigidezza dello spropriamento terreno, la pietà delle divine laudi: alti siano i vostri pensieri, generosi i propositi, infatigabile lo zelo per la gloria di Dio e l'ampliamento del suo regno. — E se si aggiunga che voi ora per nequizia dei tempi vi trovate o già sopraffatti da esose leggi o in somiglianti pericoli di dispersione, riconoscerete quanto s'accresca in voi il bisogno di custodire con ogni maggiore studio l'interezza dello spirito religioso dal contagio dissipante del secolo, e di tenervi pronti e agguerriti a qualunque più ardua prova. Su di che giova ricordare che varie Istruzioni ai Regolari furono opportunamente emanate da questa Sede Apostolica, e che altre prescrizioni furono similmente fatte dai superiori degli Ordini stessi: queste e quelle restino nel loro pieno

vigore e siano conscienziosamente osservate. — Tutti poi, e giovani e provetti, tenete gli occhi ai vostri incliti Fondatori. Vi parlano essi con le loro massime, vi guidano con gli statuti, vi precedono coll'esempio: sia per voi sacra e amorosa cura ascoltarli, seguirli, imitarli. Così fecero, in condizioni di tempi anche tristissime, tanti vostri maggiori, e così vi tramandarono una ricca eredità d'invitta costanza e d'ogni altra virtù più eletta. Di tali padri e fratelli addimostratevi degni: tutti possiate dire con giusta gloria: *Filii sumus et fratres Sanctorum!* — Da ciò potete ripromettervi a buon diritto segnalati vantaggi per voi stessi, per la Chiesa, per la società. Voi invero studiandovi di toccare il grado di santificazione a cui vi chiamò Iddio, compirete i disegni della sua speciale provvidenza, e vi meriterete la ben ampia mercede che vi ha promessa. La Chiesa, che madre caritatevolissima profuse le sue grazie alle varie vostre Famiglie, riporterà da voi quasi in ricambio una cooperazione più che mai fedele e di singolare efficacia nella sua missione di pace e salute. E appunto di pace e salute ha estremo bisogno la società odierna, miseramente quale è infiacchita e depravata. Ma per riscuoterla, sollevarla, ricondurla pentita ai piedi del pietosissimo suo Redentore, occorrono uomini di virtù eccellente, di parola viva, di cuore apostolico, e che siano a un tempo dinanzi a lui accetti mediatori di grazia. E tali, non dubitiamo, sarete voi; nè potrete recare alla società più opportuno e nobile benefizio.

Un' ultima parola, diletti figli, Ci inspira la carità di Cristo, per raffermare in voi i sensi onde siete animati verso quanti avversano comechessia i vostri Istituti e ne inceppano l'opera. Il contegno vostro quanto per coscienza dev'essere fermo e dignitoso, altrettanto per professione sia sempre mite e indulgente; giacchè nel religioso deve singolarmente risplendere la perfezione di quella carità vera che muovesi a commiserazione, non cede all'indignazione. — Il vedersi ripagati di sconoscenza, il vedersi reietti non può al certo non rattristare la natura: ma la voce autorevole della fede vi richiama l'ammonimento sublime: *Vince in bono malum* [1]; vi mette innanzi quella splendida magnanimità dell'Apostolo stesso: *Maledicimur, et benedicimus: persecutionem patimur, et sustinemus: blasphemamur, et obsecramus* [2]: soprattutto v'invita a ripetere supplichevoli con Gesù, il sommo benefattore dell' uman genere, sospeso in croce: *Pater, dimitte illis.*

Adunque: Confortatevi nel Signore [3]. Il Vicario di Cristo è con voi; con voi è tutto il mondo cattolico, che vi mira con riverente affetto e gratitudine. Dal cielo v' incuorano i gloriosi vostri padri e fratelli: il vostro supremo Duce Gesù Cristo vi circonda e ricopre della sua virtù. A lui prediletti, insistete presso il suo Cuore divino con fervorosa preghiera, certissimi di ritrarne ringagliardimento di fiducia e di forze a vincere in lui le ire tutte del mondo.

[1] Rom. XII, 21.

[2] I Cor. IV, 12-13.

[3] Eph. VI, 10.

Risuona ognor vivo e consolantissimo quel suo: *Confidite; ego vici mundum* [1].

Vi consoli altresì e vi sorregga la Nostra Benedizione, che in questo giorno, sacro alla trionfale memoria dei Principi degli Apostoli, siamo lieti d'impartirvi copiosa, sì a ciascuno di voi, come a tutte e singole le vostre Famiglie, a Noi carissime nel Signore.

Dato a Roma presso San Pietro il 29 giugno dell'anno 1901, vigesimo quarto del Nostro Pontificato.

LEO PP. XIII

[1] Ioann. XVI, 33.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
VICTORI
EPISCOPO LEODIENSI
LEODIVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pergratae Nobis fuerunt litterae, quibus Nos certiores fecisti de coetu eucharistico, septembri mense ineunte, Andegavi celebrando. Sedem profecto conventui delegistis, quae decet maxime. Praeter enim quam quod ea sit civitas Andegavensium, quae religionis studio ac pietate floreat; hanc sibi laudem vindicat, quod Berengarii errores, adversus Sacramentum augustum, in Concilio Andegavensi tertio, sollemni primum sententia, damnati sunt. Spes igitur inest, coetum vestrum, quum Episcoporum ac fidelium frequentiâ tum publicis religionibus et caeremoniis, nulli superiorum cessurum. Cui adimplendae spei ut a Nobis etiam pro viribus conferatur, libet sacra indulgentiarum munera de thesauro Ecclesiae tribuere. Omni-

bus igitur, qui vel congressus conventibus, vel sacris, aut supplicationibus, quae per id tempus fiant, intererunt, trecentorum dierum apud Deum indulgentiam, in vices singulas, concedimus: plenariam vero universis, qui, a die IV ad VIII septembris, confessione rite abluti sanctisque de altari libatis, unum e quatuor templis, ab Andegavensi Episcopo designandis, inviserint, ibique ad mentem Nostram pie supplicaverint; vel, si sanctimoniales sunt, idem praestiterint in sacrario domus. Concedimus praeterea omnia haec indulgentiae munera animabus igni purgatorio addictis converti in suffragium posse. Omnia demum fausta coetui vestro adprecati, Apostolicam benedictionem, Nostrae caritatis testem et caelestium gratiarum auspicem, singulis qui convenient amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX Iulii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
THEODORO ARCHIEPISCOPO OLOMVCENSI
CETERISQVE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS BOHEMIAE
ET MORAVIAE

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Reputantibus saepe animo quae sit conditio ecclesiarum vestrarum, occurrunt Nobis, quod nunc fere ubique, plena omnia metus, plena curarum. Illud tamen gravius apud vos incidit, quod, cum res catholica hostium externorum invidiae atque astui pateat, domesticas etiam caussas habet, quibus in discrimen trahatur. Dum enim haereticorum hominum operâ palam obscureque id agitur ut error pervadat fidelium animos; crebrescunt quotidie inter ipsos catholicos semina discordiarum: quo nihil sane aptius ad incidendas vires constantiamque frangendam.

Potior autem dissensionis ratio, in Bohemis praesertim, repetenda est ex sermone, quo incolae, pro sua

quisque origine, utuntur. Insitum enim natura est acceptam a proavis linguam amare tuerique velle. — Nobis quidem a dirimendis de re hac controversiis abstinere decretum est. Profecto sermonis patrii tuitio, si certos intra fines consistit, reprehensionem non habet: quod tamen de ceteris privatorum iuribus valet, valere hic etiam tenendum est; ne quid ex eorum prosecutione communis reipublicae utilitas patiatur. Est igitur eorum, qui publicam rem administrant, sic, aequitate incolumi, velle integra singulorum iura, ut commune tamen civitatis bonum stet atque vigeat. — Quod ad Nos attinet, monet officium cavere sedulo, ne ex eiusmodi controversiis periclitetur religio, quae princeps est animorum bonum, ceterorumque bonorum origo.

Itaque, Venerabiles Fratres, vehementer cupimus atque hortamur ut fideles, cuique vestrum crediti, etsi ortu varii ac sermone sunt, eam tamen necessitudinem animorum retineant longe nobilissimam, quae ex communione fidei eorumdemque sacrorum gignitur. Quotquot enim in Christo baptizati sunt, unum habent Dominum unamque fidem: atque adeo unum sunt corpus unusque spiritus, sicut vocati sunt in una spe vocationis. Dedecet vero, qui tot sanctissimis vinculis coniunguntur, eamdemque in caelis civitatem inquirunt, eos terrenis rationibus distrahi, invicem, ut inquit Apostolus, provocantes, invicem invidentes. Haec ergo, quae ex Christo est, animorum cognatio assidue fidelibus est inculcanda omnique studio extollenda. « Maior est siquidem fraternitas Christi quam sanguinis:

« sanguinis enim fraternitas similitudinem tantum corpo-
« ris refert; Christi autem fraternitas unanimitatem cordis
« animaeque demonstrat, sicut scriptum est: Multitudinis
« credentium erat cor unum et anima una » [1].

Qua in re homines sacri cleri exemplo ceteros anteire oportet. Praeterquam enim quod ab eorum officio dissidet eiusmodi se dissensionibus immiscere; si in locis versantur, quae ab hominibus incoluntur varii generis variaeque linguae, facile, nî ab omni contentionis specie abstinent, in odium offensionemque alterutrius partis incurrent; quo nihil sacri muneris exercitationi infestius. Debent sane fideles re usuque cognoscere ecclesiae ministros non nisi aeternas aestimare animorum rationes, nec prorsus quae sua sunt studere, sed unice quae Iesu Christi. — Quod si omnibus universe haec nota est, qua Christi discipuli dignoscantur, ut dilectionem habeant ad invicem; id de hominibus sacri cleri mutuo inter se multo magis tenendum est. Neque ideo solum quod Christi caritatem hausisse largius merito censendi sunt; verum etiam quod quisque eorum, fideles alloquens, debet Apostoli verbis posse uti [2]: « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi ».

Facile quidem damus id esse factu perarduum, nisi elementa discordiarum mature ex animis eradantur, tunc videlicet quum ii, qui in cleri spem adolescunt, in sacris Seminariis formantur. Quamobrem, Venerabiles Fratres,

[1] S. Maxim. inter Serm. S. Aug. C.

[2] Philipp. III, 17.

hoc studiose curetis ut Seminariorum alumni tempestive discant, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligere, utpote renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi [1]. — Erumpentes autem animorum perturbationes cohibete fortiter nec pacto ullo vigere patiamini; ita ut qui clero destinantur, si labii unius, ob originis discrimen, esse nequeunt, at certe cor unum sint atque anima una.

Ex hac porro voluntatum concordia, quae in cleri ordine eluceat, illud, ut iam innuimus, praeter cetera, commodum sequetur, quod sacrorum ministri efficacius monebunt fideles, ne in tuendis vindicandisque iuribus, suae cuiusque gentis propriis, praetereant modum, nimiove studio abrepti iustitiam et communes reipublicae utilitates posthabeant. Hoc namque, ob regionum vestrarum adiuncta, praecipuum modo esse officium sacerdotum putamus, opportune importune fideles hortari ut alterutrum diligant; monereque assidue, christiano nomine dignum non esse qui animo et re mandatum novum a Christo datum non impleat, ut diligamus invicem sicut ipse dilexit nos. Non autem is implet, qui caritatem ad eos tantum pertinere putet, qui lingua vel genere coniuncti sunt. « Si enim, inquit Christus, diligitis eos qui vos diligunt, « nonne et publicani hoc faciunt? et si salutaveritis fra- « tres vestros tantum, nonne et ethnici hoc faciunt? » [2].

[1] I Petr. I, 22-23.

[2] Matth. V, 46-47.

Nimirum caritatis christianae hoc proprium est ut ad omnes aeque se porrigat; « non enim, ut monet Apostolus, est distinctio iudaei et graeci: nam idem Dominus « omnium, dives in omnes qui invocant illum » [1].

« Deus autem, qui caritas est, impertiat benigne ut « idem omnes sapiant, unanimes, idipsum sentientes, nihil « per contentionem, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes; non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum » [2]. — Horum vero sit auspex, Nostraeque simul benevolentiae testis, Apostolica benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, ac fidelibus cuique vestrum commissis amantissime in Domino elargimur.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Augusti MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

[1] Rom. x, 12.

[2] Philipp. II, 2-4.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

IOANNI BAPTISTAE PAGANVZZI COMITI

VENETIAS

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Egregium virorum coetum conventibus catholicorum per Italiam celebrandis frequenti Nos commendatione honestavimus ob studium, quo delatum sibi munus naviter iam diu assidueque prosequitur. Tarentinus autem congressus, qui propediem cogetur, et tributam saepe laudem confirmat et benevolentiam Nostram vobis ex novo capite conciliat. Sit igitur felix sitque faustus conventus vester catholicae rei, edatque fructus uberrime, quos optimus quisque praecipit spe atque animo. — Nobis vero, dilecte fili, opportunitate hac uti visum, ut quae temporum ratio exigit vobis iam diserte inculcemus. Nimirum ea modo rerum atque hominum adiuncta sunt, ut officium instituti vestri eo primum ac praecipue spectare debeat, ut quae in litteris encyclicis *Rerum novarum* et *Graves de communi* praestanda ediximus vel suggessimus executioni

mandentur. Quod quidem ut pro voluntate accidat nec frustra insumi operam contingat, animorum concordiam, tum in consociationibus, quae coetui vestro adhaerent, debent autem adhaesisse omnes, tum in privatim agentibus, integram firmamque servari oportet. Quamobrem gravissime monemus atque hortamur ut, sublatis contentionibus quibuscumque, voluntates omnium in unum iam atque idem conspirent, nec patiamini vos inter concordiae fructus desiderari. — Praeterea in exequendis iis, quae supra diximus quaeque actionem, ut inquiunt, oeconomico-socialem potissime spectant, praetereunda vobis non est ea iuvenum manus, integra viribus, voluntate alacris, quae pro christiana democratia militat. Nimirum in actione hac oeconomico-sociali coetus alter consociationis vestrae totus iam diu est ac versatur. Huic igitur coetui memoratos iuvenes, qui christianae democratiae student, adhaerere necesse est: quo quidem virtuti eorum atque industriae latior patebit campus, et, quam votis omnibus exoptamus, concordia demum constituetur. Haec itaque in Tarentino conventu prae oculis habetote; ut autem pro optatis Nostris eveniant, divinarum gratiarum munera universis qui in eo aderunt adprecamur. Quorum sit auspex Apostolica benedictio, quam omnibus amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV Augusti MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
MICHAËLI AVGVSTINO
ARCHIEPISCOPO NEO-EBORACENSI
NEO-EBORACVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iure merito existimasti litteras tuas, nonis Augusti datas, Nobis, acerbitate temporum afflictis, iucunditatem non exiguam esse allaturas. Placuit enim in eis caritas, qua tu ceterique Antistites provinciae neo-eboracensis, vota pro incolumitate Nostra libentes suscipiebatis, occasione usi Ioachimianae celebritatis. At longe magis placuit quod fuse narrabas tum de fidelium pietate in sacris Iubilaei muneribus lucrandis, tum de florenti statu apud vos catholicae Ecclesiae et augescente in dies catholicorum studio ad quaevis agenda provehenda quae ad christianam caritatem pertinent. Quid sane Nobis optatius quam Christi fidem actuosam esse in vobis, suoque fulgore vel ipsos dissidentes allicere? Gratulamur igitur impense et tibi, Ve-

nerabilis Frater, et reliquis istius provinciae Episcopis, quorum navitati atque industriae haec omnia, post Dei auxilium, debentur. Et faustitatem quamlibet vobis adprecati, Apostolicam benedictionem, peculiarissimae benevolentiae Nostrae testem, vobis vestrisque dioecesibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXV Augusti MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO

ALEXIO MARIAE LÉPICIER O. S. M.

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Almam Dei Matrem, quam Nos a pueris impense amavimus, nunc vero in divexa aetate, post tot benefacta Eius, adamamus impensius, ab omnibus rite aestimari ac vehementer diligi magnopere desideramus. Quum igitur volumen a te accepimus, in quo *de Beatissima Virgine Maria Matre Dei* data opera disseris, iucunditate animum perfundi sensimus, teque peculiari benevolentia complexi sumus. Neque solum materia id fecit quam tractandam sumpsisti; sed illud praeterea, quod etsi non aequa ea sit mortalium viribus, ita tamen tractasti, ut eruditione ac soliditate nulli cesseris, multos facile superaveris. Accedit autem, estque sane ea laus potissima, quod, cum in scribendo disputandoque scholastica methodo, ut decet, uti decreveris; non ieiune id egeris, sed quadam animi suavitate qua, dum mens illustratur, fertur lector in amo-

rem Deiparae. Benigna igitur e caelo ac propitia respiciat Virgo, ac tibi pro votis fortunet labores. Nos vero, ut et gratiam rependamus, et tibi de re theologica ulterius scribenti divina munera conciliemus, Apostolicam benedictionem, peculiaris Nostrae caritatis testem, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Augusti MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
GEORGIO S. R. E. TIT. SANCTAE AGNETIS EXTRA MVROS
PRESBYTERO CARDINALI KOPP
EPISCOPO WRATISLAVIENSI
AC VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
QVI FVLDAM CONVENERVNT

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sicut vobis est in more positum Fuldam quotannis ad sancti Bonifacii exuvias convenire, ita etiam, conventu dimisso, sollemne habetis communes Nobis dare litteras observantiae vestrae testes. Utrumque profecto pergratum Nobis accidit: alterum enim studium vestrum demonstrat in fidei ac pietatis incrementa; alterum caritatem et obedientiam, qua cum Petri Sede iungimini. — Porro congressus vestri uberrimos fore fructus duo sunt quae suadent; munera videlicet Iubilaei sacri, in quibus lucrandis pietas fidelium vestrorum enituit, et industriae vestrae in iis exequendis et inculcandis, quae Nos in litteris Nostris

encyclicis pro opportunitate temporum edicimus. Accedat autem ad navitatem vobis fortunandam divinarum gratiarum subsidium. Cuius sit auspex Apostolica benedictio, quam peculiari benevolentia Vobis singulis vestrisque cleris ac populis in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Augusti MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

DE
COLLEGIO APOSTOLICO LEONIANO
IN VRBE CONSTITVENDO

—

LEO PP. XIII

MOTV PROPRIO

La vasta e ben diretta coltura del Clero, estesa non solo alle scienze filosofiche e teologiche, ma ancora ad una cognizione profonda di tutte le altre discipline atte a formare uomini eminenti per eletto ingegno, per illuminata dottrina e soda pietà, per poi condurli al più alto grado di perfezione nei molteplici ministeri ecclesiastici, Ci fu in ogni tempo sommamente a cuore, tanto che ad avviare sacerdoti al conseguimento di queste esimie qualità, furono ispirati non pochi atti del Nostro Pontificato. Il che fu da Noi sempre ritenuto di suprema necessità, giacchè ben chiaro apparisce che al saggio e prudente governo di una Diocesi, di un Istituto, di un Seminario, di una Parrocchia è intimamente connesso il bene e la salute del popolo cristiano.

Da queste considerazioni sorse in Noi l'idea di fondare in Roma sotto i Nostri occhi un nuovo Istituto

educativo a complemento di tutte le analoghe istituzioni ecclesiastiche già esistenti, il quale, mercè il generoso concorso di pie persone, ha di già ove attingere i mezzi per addivenire fra breve un fatto compiuto.

Ed affinchè il nuovo ente abbia vita e sanzione da un atto della Nostra suprema Autorità, col presente dichiariamo di fondare, siccome fondiamo, l'Istituto anzidetto, avente per esclusivo fine la superiore educazione del Clero.

Tale Istituto, che prenderà il titolo di Collegio Apostolico Leoniano *di superiore educazione ecclesiastica,* ed al quale sarà riunita la Scuola Apostolica, già retta dal Sacerdote Filippo Valentini, verrà inaugurato quanto prima nel vasto locale a tal uopo costruito ai Prati di Castello presso la Chiesa di S. Gioacchino.

A maggior decoro ed incremento del nuovo Istituto nominiamo il Signor Cardinale Casimiro Gennari, residente in Curia, Protettore del medesimo.

Diamo poi l'incarico al nominato Signor Cardinale di formulare il Regolamento interno, con la cooperazione di Monsignor Ernesto Fontana Vescovo di Crema, da Noi designato Rettore di esso Istituto, per quindi sottoporlo alla Nostra sanzione.

Dato in Roma presso S. Pietro il giorno 31 Agosto 1901, anno vigesimo quarto del Nostro Pontificato.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ADOLFO TIT. SANCTI PETRI AD VINCVLA
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI PERRAUD
EPISCOPO AVGVSTODVNENSI
AVGVSTODVNVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Dioecesis tuae sacerdotes in synodum, te suasore ac praeside, coivisse magnopere laetati sumus; non enim levia aut exigua sunt emolumenta, quae ex eiusmodi coetibus in rem sacram derivantur. Hanc tamen laetitiam praeclare auxit volumen, quod officiose obtulisti, eorumdem sacerdotum opus et labor; cui si forte cetera ornamenta desint, illud tamen inest aestimationemque confert, quod est ex observantia erga Sedem Apostolicam atque alacri voluntate ea penitus cognoscendi exequendique strenue, quae Nos, in ecclesiarum vestrarum praecipue bonum, suadente caritate, ediximus inculcavimus. Gratulamur igitur tibi, dilecte fili Noster, qui, exemplo in ceteris dioe-

cesibus sane imitando, perutile clero tuo studium suasisti; gratulamur pariter cleri eiusdem hominibus, qui tuis consiliis volenti libentique animo obsecundarunt. Ut vero communes industrias Deus vobis fortunet, et officiis vestris benevolentiae testimonio respondeamus, Apostolicam benedictionem, munerum caelestium auspicem, tibi et clero Augustodunensi universo amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die v Septembris MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIÓ
ADALBERTO BREZNAY
AB INTIMO NOSTRO CVBICVLO
IN SCHOLA THEOLOGIAE BVDAPESTINENSI
PRAESIDI
BVDAPESTINVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pergratum abs te munus accepimus Petri Pazmany Cardinalis quartum operum volumen. Susceptum consilium sustinendi tuendique doctoris nobilissimi nomen, eiusque memoriam, scriptis emissis, immortalitati consecrandi, libet, dilecte fili, laudare vehementer. Indignum enim doctis hominibus videri actis etiam temporibus debuerat tam clari viri tamque honorati iacere nomen, eiusque scripta non modo recondita abdi, verum etiam plurimorum ignoratione praeteriri. Quae quantum utilitatis habeant nemo est qui non intelligat; is enim Pazmanius est qui de grandioribus disciplinis eruditione summa sensuque altiore

disserat, idemque singularem illum atque in sacris litteris facile principem Thomam nostrum, ducem sequatur ac magistrum. Aequum igitur censemus te digna meritis laude Nos ipsi honestare, qui Aquinatis scripta legenda ab omnibus ac pervolutanda tanto opere curavimus. Quod si negotii nimium res habere videatur, additos tibi animos auctoritate Nostra exoptamus, quibus excitatus atque erectus egregio facinori ad exitum deducendo, ac religioni doctrinaeque provehendae felicius incumbas.

Ut vero divinum etiam Numen inito consilio bene propitium adsit, Apostolicam benedictionem tibi Collegioque Doctorum decurialium Budapestinensi peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die v Septembris MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

DE CONSECRATIONE NOVI TEMPLI
BEATAE MARIAE VIRGINIS A SACRATISSIMO ROSARIO
AD OPPIDVM LOURDES IN GALLIIS

—

LEO PP. XIII

VNIVERSIS CHRISTIFIDELIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Parta humano generi per Iesum Christum Redemptorem immortalia beneficia in nostris omnium animis penitus insident, atque in Ecclesia non modo memoria recoluntur sempiterna, sed etiam eorum commentatio quotidie cum suavi quodam amoris officio erga Virginem Deiparam consociatur. — Nos siquidem cum diuturnum Summi Sacerdotii Nostri spatium respiciamus, atque animum ad acta Nostra revocemus, grato et iucundo perfundimur consolationis sensu, conscientiâ earum rerum, quas, auctore bonorum consiliorum atque adiutore Deo, ad maiorem Mariae Virginis honorem vel suscepimus Ipsi, vel a catholicis viris curavimus suscipiendas ac provehendas. Illud autem est

singulari Nobis gaudio, Marialis Rosarii sanctum institutum hortationibus curisque Nostris esse magis in cognitione positum, magis in consuetudine populi christiani invectum: multiplicata esse Rosarii sodalitia atque ea in dies sociorum numero et pietate florere: multa litterarum monumenta ab eruditis viris elucubrata esse et late pervulgata: denique Octobrem mensem, quem integrum Rosario sacrum haberi iussimus, ubique terrarum magno atque inusitato cultus splendore celebrari. Praesenti autem anno, a quo suum saeculum vicesimum ducit exordium, officio Nostro Nos prope putaremus deesse, si opportunam praetermitteremus occasionem, quam Nobis Venerabilis Frater Episcopus Tarbiensis, Clerus, populusque oppidi *Lourdes* sponte obtulerunt, qui in templo augusto, Deo sacro in honorem B. M. V. a sanctissimo Rosario, quindecim construxere altaria, totidem Rosarii mysteriis consecranda. Qua quidem occasione eo libentius utimur, quod de iis Galliae regionibus agitur, quae tot tantisque Beatae Virginis illustrantur gratiis, quae fuerunt olim Dominici Patris Legiferi nobilitatae praesentiâ, et in quibus prima incunabula sancti Rosarii reperiuntur. Neminem enim christianorum hominum latet, ut Dominicus Pater ex Hispania in Galliam profectus, Albigensium haeresi per id tempus circa saltus Pyrenaeos, veluti perniciosa lues, Occitaniam fere totam pervadenti, invicte obstiterit; divinorumque beneficiorum admiranda et sancta mysteria exponens et praedicans, per ea ipsa loca circumfusa errorum tenebris lumen veritatis accenderit. Id enim apte singulis singuli vel ipsi

faciunt eorum mysteriorum ordines, quos in Rosario admiramur; ut christianus quippe animus sensim sine sensu cum crebra eorum cogitatione vel recordatione vim insitam hauriat, combibat; sensim sine sensu adducatur ad vitam modice in actuosa tranquillitate componendam, ad adversas res aequo animo et forti tolerandas, ad spem alendam bonorum in potiore patria immortalium, ad fidem demum, sine qua nequicquam quaeritur curatio et levamentum malorum, quae premunt, aut propulsatio periculorum, quae impendent, adiuvandam atque augendam. Quas Dominicus, aspirante atque adiuvante Deo, Mariales preces primus excogitavit et Redemptionis mysteriis certo ordine intermiscuit, Rosarium merito dictae sunt: quoties enim praeconio angelico *gratia plenam* Mariam consalutamus, toties de ipsa iterata laude eidem Virgini quasi rosas deferimus, iucundissimam efflantes odoris suavitatem; toties in mentem venit tum dignitas Mariae excelsa, tum inita a Deo per *benedictum fructum ventris* gratia; toties reminiscimur alia singularia merita, quibus Illa cum Filio Iesu Redemptionis humanae facta est particeps. O quam suavis igitur, quam grata angelica salutatio accidit beatae Virgini, quae tum, cum Gabriel eam salutavit, sensit se de Spiritu Sancto concepisse Verbum Dei! Verum nostris etiam diebus vetus illa Albigensium haeresis, mutato nomine, atque aliis invecta sectis auctoribus, novis sub errorum impiorumque commentorum formis atque illecebris mire reviviscit, serpitque iterum per eas regiones, et latius contagionis foeditate inficit contaminatque

populos christianos, quos misere ad perniciem et exitium trahit. Videmus enim et vehementer deploramus saevissimam in praesens, praesertim in Galliis, adversus religiosas Familias, pietatis et beneficentiae operibus de Ecclesia et de populis optime meritas, coortam procellam. Quae quidem dum Nos mala dolemus, et gravem concipimus ex Ecclesiae acerbitatibus animi aegritudinem, auspicato obtigit ut non dubia inde ad Nos profecta sit significatio salutis. Bonum enim faustumque capimus omen, quod firmet augusta caeli Regina, quum in sacris aedibus de Lourdes tot, ut supra diximus, proximo Octobris mense dedicanda sint altaria, quot mysteria sanctissimi Rosarii numerantur. Nec quidquam certe ad Mariae conciliandam et demerendam saluberrimam gratiam valere rectius potest, quam quum mysteriis nostrae Redemptionis, quibus illa non adfuit tantum sed interfuit, honores, quos maximos possumus, habeamus, et rerum contextam seriem ante oculos explicemus ad recolendum propositam. Neque ideo Nos sumus animi dubii, quin velit ipsa Virgo Deipara, et pientissima Mater nostra, adesse propitia votis precibusque, quas innumerae illuc turmae peregre confluentium Christianorum rite effundent, iisque miscere et sociare implorationem suam, ut, foederatis quodammodo votis, vim faciant, et dives in misericordia Deus sinat exorari. Sic potentissima Virgo Mater, quae olim *cooperata est caritate ut Fideles in Ecclesia nascerentur* [1], sit

[1] S. Aug. *De sancta Virginitate,* Cap. VI.

etiam nunc nostrae salutis media et sequestra: frangat, obtruncet multiplices impiae hydrae cervices per totam Europam latius grassantis, reducat pacis tranquillitatem mentibus anxiis; et maturetur aliquando privatim et publice ad Iesum Christum reditus, qui *salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum* [1]. — Nos interea Venerabili Fratri Episcopo Tarbiensi, et dilectis filiis clero et populo de Lourdes benevolum animum Nostrum profitentes, omnibus et singulis eorum optatis, quae nuper Nobis significanda curarunt, Litteris hisce Apostolicis obsecundare decrevimus, quarum authenticum exemplar ad universos Venerabiles Nostros in pastorali munere Fratres, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, reliquosque sacrorum Antistites in orbe catholico existentes iussimus transmitti, ut hi quoque eodem ac Nos gaudio et sancta laetitia perfundantur. Quamobrem, quod bonum, felix, faustumque sit, Dei gloriam amplificet, et toti Ecclesiae catholicae benevertat, auctoritate Nostra Apostolica per has ipsas litteras concedimus, ut dilectus filius Noster Benedictus Maria S. R. E. Cardinalis Langénieux dedicare licite possit nomine et auctoritate Nostra novum templum in oppido Lourdes erectum, sacrumque Deo in honorem B. M. V. a sanctissimo Rosario; ut idem dilectus filius Noster in sollemni sacro faciendo utatur libere Pallio velut si in Archidioecesi adesset sua; utque post sacrum sollemne adstanti populo, item auctoritate et

[1] Hebr. VII, 25.

nomine Nostro, possit benedicere cum solitis Indulgentiis. Haec concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die VIII Septembris MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA

DILECTO FILIO

ENGELEN

PRAESIDI COETVS CATHOLICORVM

IN VRBE OSNABRVGENSI HABITI

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Singulari quodam rei catholicae studio Germanos teneri, compertum quidem atque exploratum semper habuimus, luxit autem probe ac perspicue quadragesimo octavo catholicorum conventu qui, te praeside, coactus Osnabrugi proximo mense est. Non una profecto de caussa, quod tibi Germanisque catholici nominis omnibus laudis esse existimamus, pergratus Nobis coetus hic praeclarissimus accidit, idemque voluptatis laetitiaeque plurimum creavit. Gratiam quum primis apud Nos inivere communes omnium litterae quae cum observantiae atque officii sensu ad Apostolicam Sedem ante datae fuerunt quam in Osnabrugensem conventum coiretis: tum illa praeterea iucundissima Nobis

accesserunt, quae congressis vobis atque coactis, disputata eleganter sunt severeque constituta. Etenim, quantum quidem fuit in vobis situm, in eo collatis viribus elaborastis ut religionis emolumenta apud vos non modo maneant ac vigeant, verum etiam sint cum bono progredienti coniuncta: iidemque palam unaque voce illis omnibus acclamastis qui obsessos Nos peneque vinculis constrictos iuribus ac libertate prohibent. Haec ut catholici nominis nationes ac gentes memoria repetant atque in mente et cogitatione defigant, itemque ut publice conquerantur, recte admodum esse censemus. Quapropter coetum Osnabrugensem ex animi Nostri sententia fuisse conclusum magnopere laetamur, tibique, dilecte fili, gratulamur vehementer: quo vero maiora vestris ex industriis in rem Nostram commoda proficiscantur, munerum divinorum auspicem, Nostraeque benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem tibi iisque omnibus qui in coetum convenerunt, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Septembris MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
THEODORO
ARCHIEPISCOPO OLOMVCENSI
OLOMVCIVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae ad Nos perferuntur de exitu secundissimo conventus catholicorum nuper Olomucii habiti singulari Nos perfundunt laetitia eriguntque animum in spem, fore ut istic res sacra maiora in dies capiat incrementa. Haec omnia, Venerabilis Frater, deberi tibi probe scimus; nisi enim tua fuisset voluntas, egregii propositi tenacissima, tot tantaeque iniiciebantur difficultates, ut catholicorum vota vix ad exitum perventura viderentur. Tibi igitur gratulamur affatim; quamque diuturno labore magnisque studiis laudem promeruisti, ea te libenti laetoque animo cumulamus. Ne vero operi a te impenso amplissimi etiam fructus solatium desit, Apostolicam benedictionem, Nostrae cari-

tatis testem et munerum divinorum auspicem, tibi et universis qui in coetu adfuerunt amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Septembris MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
DONATO MARIAE TIT. SANCTAE BALBINAE
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI DELL'OLIO
ARCHIEPISCOPO BENEVENTANORVM
CETERISQVE BENEVENTANAE PROVINCIAE EPISCOPIS

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Dolendum sane viris bonis est in Christi Ecclesiam religionemque divinam bellum aetate hac nostra concitari quam quod maxime iniquum, viamque conflictandi ac rationem actis temporibus haud receptam iniri. Neque alia certe de causa factum toto Pontificatus Nostri tempore est ut Nos, quorum haeret animo christifidelium assidua cogitatio, tam saepe tam vehementerque vocis Nostrae auctoritatem intenderimus, illud cupientes atque optantes ut omnes catholicorum vires adversus imminentes hostes in unum coactae obiicerentur. Quapropter recreamur profecto atque animo erigimur quum vos videmus curarum Nostrarum socios intimo sensu accessisse,

gravibusque consiliis quae vobis nuper congregatis proposita sunt ac suscepta, sic Pontificia spectasse praecepta ut Nostrae fere vocis imago in vobis resonare videretur. De vestra igitur opera, dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, gratulantes, hortamur iidem vos atque acuimus ut iis, qui in Ecclesiae dirimenda unitate sunt toti, omni coniunctarum virium contentione repugnetis. Quo autem, Deo bene iuvante, in Ecclesiae commodum vestra cedat felicius industria, Apostolicam benedictionem tum Vobis tum fidelibus Provinciae vestrae universis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Octobris MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA[1]

A SUA EMINENZA
IL SIGNOR CARDINAL FERRARI
ARCIVESCOVO DI MILANO

Eminenza,

Da qualche tempo viene verificandosi in alcune parti di Italia un fatto che ha giustamente richiamato la vigile attenzione del Santo Padre. Non rare volte, cioè, cattolici che pur si professano devoti alla Santa Sede, sia in conferenze d'innanzi a numeroso uditorio, sia in discorsi o brindisi in pubbliche riunioni, sia in articoli di giornali, parlano della *patria italiana,* del *risorgimento italiano,* ed anche dell'*unità nazionale,* senza far veruna riserva, o almeno senza fare una riserva sufficientemente esplicita dei diritti della Santa Sede al suo dominio temporale; anzi non è mancato chi abbia osato apertamente sostenere esser prudente passar per ora sotto silenzio il potere temporale del Romano Pontefice per rivendicarlo poi in remoto avvenire, quando il popolo sarà stato abbastanza illuminato dalla democrazia cristiana. Non ho necessità di dire all'Eminenza Vostra che nè gli uni nè molto meno

[1] *Mandato Summi Pontificis.*

gli altri meritano approvazione. Affinchè la così detta *questione romana* si mantenga sempre viva nella coscienza dei popoli e sia così riservato l'avvenire ai disegni della divina Provvidenza, è necessario che i cattolici italiani non lascino sfuggire nessuna occasione per affermare altamente le loro convinzioni in questo importantissimo punto e reclamare la libertà ed indipendenza territoriale per il loro Augusto Capo, seguendo l'esempio dei cattolici di altri paesi e conformemente agli insegnamenti costanti della Santa Sede; ben persuasi del resto che il dominio temporale del Papa, se è necessario al libero svolgimento della potestà ecclesiastica, gioverebbe altresì all'unione morale degli animi e alla sicurezza esterna della patria. Il Santo Padre mi ha dato ordine di comunicare tutto ciò all'Eminenza Vostra, affinchè colla sua nota prudenza possa nel territorio affidato al suo zelo pastorale prendere quelle misure e dare quegli avvertimenti che crederà più opportuni per impedire il ripetersi dell'inconveniente segnalato.

Baciandole umilissimamente le mani, con sensi di profonda venerazione passo a raffermarmi

Di Vostra Eminenza

Dal Vaticano li 21 Ottobre 1901.

Um̃o devm̃o servitor vero
M. Card. RAMPOLLA

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
PLACIDO LVDOVICO CHAPELLE
ARCHIEPISCOPO NOVAE AVRELIAE
NOVAM AVRELIAM

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae, perturbata Insularum Philippinarum republica, Ecclesiae sunt incommoda parta, Apostolicae Sedis operam, subeundis quidem levandisque assuetae calamitatibus, praesentem postularunt. Factum hac de causa est ut te Delegatum Nostrum extraordinarium in id mitteremus ut terras illas oculis ac mente lustrares, nostraeque res Ecclesiae conversione civitatis afflictas, quantum quidem in te erat, reficeres atque excitares. Esse autem existimamus cur ad Nos reversum praeclare te in obeundo munere gessisse Nostramque sustinuisse expectationem laetemur; longum enim itineris spatium emensus, de caelique gravitate nihil laborans, moratus illic haud paulum temporis es, susceptaque rei catholicae atque etiam huma-

nitatis curâ, quod animo haerebat Nostro sic es Deo adiuvante assecutus, ut manantia latius mala consilio atque auctoritate coërcueris, commodorumque fere compensatione lenieris. Bene igitur de Nobis meritum honesta te laude prosequimur, bonamque solertiae probataeque tuae facultatis spem animo comprehendendam putamus. Ut autem spei, quam ipse dedisti, ferat Deus opem, Apostolicam tibi benedictionem, munerum divinorum auspicem, Nostraeque testem benevolentiae amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVIII Octobris MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ALFONSO MARIAE
ARCHIEPISCOPO FLORENTINO
FLORENTIAM

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod, ubi primum ad praestantissimam sancti Antonini Cathedram es elatus, in credita tibi Archidioecesi fovenda fueris totus, idemque praecipuo quodam studio sacrum Seminarium novis exornandum laudibus curaveris, spem Nostram probe firmavit, expectationemque explevit tuae virtutis eximiae. Provehendarum vero litterarum consilio, quod ad operam agitationemque tuam accessisse novimus, delectati admodum sumus, quum illud etiam exploratum haberemus susceptum tibi propositum ad usum esse propediem adiungendum. Bene enim Nobis nunciasti Theologiae scholam apud Florentinorum Seminarium a Clemente VI constitutam, Nostraque auctoritate iterum excitatam, proximo esse ineundam mense. Egregium quidem facinus,

recordatione vestra memoriaque consecrandum, laudi esse tibi censemus, idque cum spe fructuum sane uberum, laetamur clericos Hetruriae universos praesidio nunc esse instructos et habili ad animos sacris excolendos doctrinis et temporibus maxime accommodato. Quod si solertibus praelucere Nos et addere oporteat animos, id unum esse vobis ardore studioque spectandum significamus, ut quae coepta cum laude sunt eadem probabili concludatis exitu, atque ad Ecclesiae commodum Religionisque rationem referatis. Quae ut consequi divino beneficio possitis, Apostolicam benedictionem tum tibi tum clero populoque tuo amantissima voluntate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXXI Octobris MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS
ECCLESIAE LATINAE
IN GRAECIA

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Vrbanitatis veteris Graecia lumen atque omnium mater artium, post tot rerum casus ac tantas varietates fortunae, nihil tamen consenuit in memoria atque admiratione hominum; immo potius nemo adeo agrestis est, quin eius magnitudine gloriaque cogitanda moveatur. Nobis profecto graii generis insidet in animo non memoria solum cum admiratione coniuncta, sed plane caritas, eaque vetus. Mirari ab adolescentia assuevimus ionias atticasque litteras, maximeque illam veri investigandi scientiam, in qua valuerunt principes philosophorum vestrorum usque adeo, ut mens humana longius progredi solo naturae lumine nequaquam potuisse videatur. Ista quanti sit apud Nos sapientia graecorum, satis declarat cura

diligens et multiplex, quam in restituenda celebrandaque Doctoris angelici philosophia ex hoc Pontificatus fastigio posuimus. Nam si de gloria sapientum virorum magnam partem, nec sane iniuriâ, capiunt ii, quorum secuti disciplinam magisteriumque sint in adipiscenda sapientia, certe honorem Aristoteli vestro iudicabimur habuisse hoc ipso, quod honore affecimus beatum Thomam Aquinatem, e discipulis magnisque sectatoribus Aristotelis facile praestantissimum. — Quod si de re christiana loquimur, numquam non probata Nobis graeca disciplina sacrorum: in ceremoniis ritibusque religiosis, quos a maioribus acceptos caste curat Graecia custodiendos, Nos quidem effigiem moris antiqui et iunctam varietati maiestatem vereri semper consuevimus. Cumque ritus istos et aequum sit et expediat, uti sunt, ita manere integros, idcirco urbanum Collegium alumnorum ritu graeco, a magno Athanasio nuncupatum, ad institutum revocavimus formamque pristinam. Similique ratione, quotquot graeca Ecclesia Patres Doctoresque tulit, tulit autem Dei beneficio complures et magnos, eorum in Nobis omnium reverentiam debitam cum aetate adolevisse putatote. Quid est quod Cyrillum et Methodium in maiore lumine atque in amplioris honoris gradu collocari, vix prope inito Pontificatu, placuit? Voluimus, pietate ducti, virtutes utriusque eorum recteque facta ab oriente ad occidentem notiora fieri, ut qui de catholico nomine universe meruissent, ab universitate catholicorum augustius colerentur. — E decessoribus autem Nostris ne putetis parum Nos eorum memoria delectari, quibus ortum

et genus Graecia dederit. Imo vero mire afficimur erga illos, nec raro Nobiscum revolvimus quam sapienter christianam rempublicam per adversa atque aspera, ut temporibus illis, gradientem iuverint, auxerint: quam fortiter magna pars, ut Anacletus, ut Telesphorus, ut Hyginus, post gloriosos labores defuncti martyrio. Quamquam, ut vera fateamur, vix umquam contingit graecos origine Pontifices recordari, quin moerens et cupiens anquirat animus magnum quiddam sequioris aevi calamitate deperditum; priscam illam dicimus intactam a dissidio coniunctionem, qua continebantur salutariter graeci latinique inter se tum, cum, quae pars terrarum Socratem et Platonem genuisset, ab ea ipsa saepe arcesserentur qui Pontifices maximi fierent. Mansisset plurimorum magnorumque communio bonorum, si concordia mansisset.

Utcumque sit, nullo modo despondere animum veteris recordatione memoriae, sed potius excitari necesse est ad salutarem vigilantiam, ad fructuosos labores. Vos quidem pergite, venerabiles fratres, episcopale munus fungi sollerter, ut facitis: date operam ut quotquot sacrae potestati vestrae parent, sentiant quotidie magis quid ab ipsis postulet catholica professio, vestroque discant exemplo debitam patriae caritatem cum fidei sanctae amore studioque coniungere. Ad Nos quod attinet, rem apud vos catholicam tueri, conservare, munire firmiter, quantum opera et contentione possumus, studebimus. Hoc animo consilioque, quia probe intelligimus plurimum praesidii ad mores, ad disciplinam civilem, ad ipsum catholici nomi-

nis decus in institutione animorum esse ingeniique artibus positum, conferre aliquid conati iam sumus in eruditionem adolescentis aetatis, condito Athenis aliquot ante annos Lyceo, in quo iuventuti catholicae copia esset dare operam litteris, in primisque linguam percipere, quae Homero Demosthenique pertractata tantum habuit ab utroque luminis. Modo communes litterae vestrae, die IX Septembris datae, aliud quippiam suadent non absimili genere ibidem inducere, quo adolescentium clericorum eruditioni consulatur. Nostram habetis consentientem sententiam: nimirum perutile perque opportunum iudicamus, domicilium istud litterarum Atheniense, quod diximus, sacrorum quoque alumnis patere, qui scilicet tradant ibi se politiori humanitati colendos, nec theologiam, neu philosophiam prius attingant, quam sermonem patrium patriasque litteras in ipsa civitate principe penitus arripuerint. Qua ope et tuebuntur profecto melius dignitatem ordinis sui, et in muneribus sacris multo versabuntur utilius. Quamobrem consilium libentes cepimus, in ipsis Lycei supra dicti aedibus, uti vobis videtur, Seminarium constituere adolescentibus clericis ritu latino, genere graeco, nec exceptis ceteris graeco sermone orientalibus. Totius rationem operis temperationemque instituti, Nostrum erit, dandis in eam rem litteris, alias describere.

Ceterum, respicientes paulisper animo, in Pontificibus superioribus eamdem, quam in Nobis, voluntatem reperietis fuisse, nec eos officium ullum, quod genti vestrae profuturum videretur in eorumque potestate esset, praeter-

misisse. Sic Pium V historia testatur ex eo foedere principum christianorum, quod ad Echinadas insulas tam magnifice triumphavit, hunc fructum capere voluisse, ut non modo Italiam tueretur, sed etiam ut Graeciam universam liberaret. Usque adeo de re publica deque salute graecorum Pontifex sanctissimus laborabat. Quod si spes hominem et conata sua fefellerunt, at certe magnum illud consilium fuit et plenum caritatis, nec stetit per eum quominus eveniret. Multo autem recentiore memoria, cum dominatum externum depellere et suum vindicare ius patres vestri contenderent, quot ea tempestate vertere solum coactis perfugium tutum romanae civitates praebuere! Nec ii poterant accipi a Pio VII liberalius, quippe qui et patere fines principatus sui extorribus iussit, et studuit praeterea omni, qua posset, ope et ratione succurrere.

Ista quidem non aliam ob caussam commemorantur hoc loco, nisi quo ex hac ipsa consuetudine benevolentiae germana indoles romani pontificatus consiliaque vera cernantur. Praeiudicatae opiniones, quas olim flebilium casuum vis quaedam inseverit, quidnî, auxiliante Deo, sensim cedant veritati? Res aequo animo iudicioque integro aestimantibus facile appareat, nihil esse gentibus orientalibus redintegrandâ cum romana Ecclesia concordiâ metuendum: nihil omnino de dignitate, de nomine, de omnibus ornamentis suis decessurum Graeciae: quin etiam non parum et praesidii accessurum et gloriae. Ad florentem rei publicae statum quid aetati Constantinianae defuit?

quid tempora Athanasii aut Chrysostomi desideravere? quibus temporibus sancta apud omnes romani Pontificis potestas erat, eidemque ut beati Petri successori legitimo et, quod consequitur, rectori christianae reipublicae gubernatorique summo oriens perinde atque occidens parebat, idem utrimque sentientibus ac profitentibus animis.

Nos interim, quod et possumus et debemus, commendare gentem vestram universam perseverabimus communi omnium liberatori Iesu Christo, haud frustra, uti confidimus, advocata Virgine Deipara, quam et honorare graeci cultu praecipuo, et *usquequaque sanctam* appellare venusto nomine verissimaque sententia consuevere.

Divinorum munerum auspicem et benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Novembris MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

LITTERAE

DE PARVO CATECHISMO
VENERABILIS CARDINALIS BELLARMINO

—

LEO PP. XIII

Venerabiles Fratres Nostri Episcopi Suburbicarii, ceterique Romanae regionis Antistites, cum in coetum convenissent, in eam unanimes ivere sententiam, ut Catechismus, quem minorem aiunt, a Venerabili Cardinali Roberto Bellarmino compositus, iterum edatur typis, ac nonnullis, pro temporum necessitate, adiectis, in ipsorum dioecesibus ad christifideles erudiendos adhibeatur. — Quoniam de eo libro agitur, quem saeculorum usus et plurimorum Episcoporum Doctorumque Ecclesiae iudicium comprobavit; susceptum consilium, sanctum ac saluberrimum, placere Nobis etiam edicimus. Quare, praedictorum Venerabilium Fratrum studia in commissum cuique gregem amplissime laudantes, propositum eorumdem, Apostolica benedictione adhibita, confirmamus.

Ex Aedibus Vaticanis, die III Decembris MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
VILHELMO VERSPEYEN
COMITI
GANDAVVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Catholicos in Belgio scriptores ephemeridibus edendis coaluisse in coetum ad veritatem efficacius tutandam, probamus admodum et gratulamur. Quo enim magis uniuntur vires atque animorum consilia, eo certius pro aris et focis dimicantes sequetur victoria. In primis autem communis huius voluntatis fructibus strenas illas censemus, quas, fidelibus undique conferentibus, Nobis, ineunte anno, donandas curastis, quasque scimus vos idem curare ut novo appetente anno offeratis. Quod quidem grato in vos Belgasque omnes animo commemoramus. — Alterum, quod vobis prospere evenire exoptamus, quippe dignum laude quam maxime, consilium est, quod unanimes inivistis, arcae constituendae suppetiis ferendis coetus vestri

sociis, qui, fractis viribus, scribendo agendoque abstinere ob aetatem cogantur. Proposito huic vestro, iustitiae et caritatis pleno, pro viribus promovendo, symbolam quoque Nostram conferre libet: quare arcae praedictae mille libellarum summam destinamus, quam Nuntio Nostro tibi, dilecte fili, tradendam commisimus. Tibi interim ceterisque catholicis ephemeridum scriptoribus Apostolicam benedictionem Nostrae benevolentiae testem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Decembris MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS
AVSTRIACAE DITIONIS

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII NOSTRI ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Multis quidem incommodis atque illis profecto non modicis, quibus hoc maxime tempore Ecclesia apud vos agitatur, vestra sollertia divino beneficio repugnavit opportuneque prospexit. Haec vestris e litteris cum iucunditate Nos et gaudio cognovimus, probeque inde sensimus quantum ad cavenda catholico nomini detrimenta valeant coniuncta episcoporum studia sociataeque voluntates. Rem enim, vestrum omnium operâ, sic esse constitutam laetamur ut sperare liceat eorum impetum iri repressum qui animorum cum Petri Cathedra coniunctionem dirimere conantur, atque etiam bona sit spes ab impietate posse adolescentium ingenia vindicari, quos et domi et litterariis in ludis christianae fidei praeceptis instituendos curatis. Illud etiam sollicitos vos tenet inopem libertatis esse Romanum Pontificem: quod quidem nimium quantum

obest et Sedis Apostolicae dignitati et progredienti Religionis bono. Ad has autem levandas calamitates pergite, dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, incumbere magna animorum contentione; augeat vero alacritatem vestram divinisque gratiis permuniat Apostolica benedictio, quam vobis omnibus ac populis vigilantiae vestrae creditis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IV Decembris MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO
DIE XVI DECEMBRIS MDCCCCI

—

VENERABILES FRATRES

Afferre iucundiora velimus: at contra impellimur ac propemodum cogimur temporibus eas impertire vobis acerbitates, quarum ipsarum caussâ in sollicitudine assidua volvitur Nobis extremum hoc spatium aetatis. Videlicet quae rem catholicam non sinant quiescere, caussae plures passim sunt, illaeque non leves. Persequi singulas, nequaquam est propositum; verumtamen singulare quoddam in conspectu est fidei et morum discrimen, idque intestinum et domesticum, quod nulla ratione debet Nobis silentibus maturescere. Hocne igitur apud Italorum gentem, tot iam indigne eversis rebus, supererat, ut nec sanctitas coniugiorum in tuto esset, cui quidem civiles procellae ad hanc diem pepercerant? Si qua est auctoritas senectuti, si iustum inest in apostolica voce momentum, si quicquam denique valet paterna in communem patriam voluntas, eos omnes, quorum in deliberatione versatur rogata lex de divortiis, non monemus tantummodo, sed plane obtesta-

mur, per sibi quidquid est carum et sacrum, desistere coepto velint. Animadvertere et serio considerare ne recusent, sanctum, individuum, perpetuum esse iure divino maritale vinculum christianorum; neque id ius abrogari, nec ei derogari ullo unquam tempore ullâque hominum lege posse. Adscribere christianas nuptias iis velle rebus, quae contrahantur, distrahantur, iure civili, magnus ac perniciosus est error. Etenim humanae redemptor et restitutor naturae Iesus Christus Filius Dei, consuetudine deleta repudii, ad vim rationemque antiquam Deo ipso auctore *ab initio* constitutam, revocavit matrimonium; auctumque dignitate et virtute sacramenti, e negotiorum genere communium imperioque potestatis civilis, imo etiam ecclesiasticae exemit. Quae nuptias consequuntur in rerum genere civilium, de iis statuat potestas reipublicae; ultro progredi, Dei nutu prohibetur. Omnis ergo lex, quae rata esse divortia iubeat, iubet contra fas, apertaque cum iniuria creatoris summique legumlatoris Dei; propterea-que caussam dare adulterino foederi potest, coniugio iusto non potest. Illud auget culpam, quod continere divortia intra provisos terminos, tam difficile factu est, quam sistere in medio cursu acerrimarum flammas cupiditatum. — Perperam vero suffragium petitur ab exemplis peregrinis, in re non dubie nefaria: minuatne aut excuset peccata cuiusquam, multitudo similia peccantium? Eo vel maxime quod nusquam recepta legibus facultas divortiorum, quin reclamarit vehementer oppositaque auctoritatis suae restiterit, ubicumque potuit, custos et vindex divini

iuris Ecclesia. Nec audeat sperare quisquam, minus memorem officii hodie futuram, quam antea fuerit. Non connivebit ullo modo, non acquiescet, non feret remisse Deo sibique factam iniuriam. — Qua in iniuria teterrimus fons includitur malorum: et hanc ob rem ex eis ipsis hominibus, qui instituta catholica non undequaque probant, aut omnino non probant, plurimos tamen cernere est, qui salutis publicae ratione adducti, pro perpetuitate coniugiorum docte et animose contendant. Revera, hoc semel constituto, rescindi maritale vinculum fas esse, lege evertitur constans et stabilis natura matrimonii: hinc illa proclivi itinere consequuntur, quae Nosmetipsi alias deflevimus, debilitari utrimque amorem mutuum, perniciosa incitamenta suppetere ad infidelitatem, in discrimine esse tuitionem institutionemque liberorum, dissidiorum inter familias foveri semina, totas domos perturbari funditus, atque in summam humilitatem evadere conditionem mulieris. Quoniam vero et prosperitas domesticae societatis et ipsae imperiorum opes moribus bonis vigent, corruptis dilabuntur, pronum est intelligere, quam sint et privatim et publice calamitosa divortia, utpote quae a demutatione morum popularium profecta, ad infinitam licentiam vulgo deducunt.

Intendentibus se istiusmodi periculis, plane intelligi potest, quo Nos animo simus, praesertim quod eo minus tanta calamitate digni nostrates sunt, quia multo maxima pars mores et instituta catholica studiose ac fideliter divino munere retinent, exemplo patrum et maiorum.

Nihilominus spes est, meliora ad extremum consilia fore eorum, qui de rogatione decernent. Quantumvis enim politicorum ardore studiorum occupentur, non tamen habent avitae religioni clausas aures: neque omnino iudicium recti eamque rerum gerendarum prudentiam deserent, quam Italorum ingeniis natura ingeneravit.

Coniunctis Nobiscum animis, contendite ab omnipotenti Deo, Venerabiles Fratres, ut tot ipsius ornatam beneficiis muneribusque gentem in hoc tam difficili tempore tueri benigne velit.

APPENDIX

PRAECIPVI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

LEONE PP. XIII

HABITI SERMONES ANNO MDCCCCI

I.

DIE VIII IANVARII

AD ANGLOS

PIE IN VRBEM PEREGRINATOS

Une douce émotion remplit Notre cœur à la vue de cette nombreuse assemblée, et c'est avec une affection toute paternelle que Nous vous accueillons aujourd'hui, vous, Nos enfants catholiques de la Grande Bretagne. — Il y a quelques mois à peine, un nombre considérable de vos frères est venu chercher, dans la Ville Eternelle, l'abondance des grâces jubilaires, et Nous manifester à cette occasion les sentiments de leur attachement filial. Et voilà qu'à l'aurore de ce nouveau siècle, vous êtes accourus ici pour affirmer publiquement auprès du tombeau des Apôtres, la foi de vos ancêtres, et rendre ainsi au Christ Rédempteur l'hommage solennel que Nous revendiquons pour Lui, Dieu et Homme, Roi des siècles, et Maître de l'univers.

À vous, catholiques de la Grande Bretagne, à vous l'honneur d'avoir organisé le premier pèlerinage qui soit venu en ce siècle, déposer entre les mains du Successeur de Pierre un témoignage d'amour inébranlable envers l'Eglise et envers le Siège Apostolique. — Oui, Nous le savons, les vœux que vous Nous offrez en ce jour, sont l'expression fidèle de la pensée et des sentiments de tous vos frères catholiques dispersés par le monde, et Nous Nous rejouissons que vous en ayez été les interprètes.

Quelque soit la différence de races et de langues qui vous séparent, vous êtes tous unis dans votre foi et dans votre soumission filiale aux enseignements de l'Eglise et de son Chef, le Vicaire de Jésus-Christ sur la terre. — Tous, vous déplorez les maux qui Nous affligent dans cette situation pénible que Nous subissons plutôt que de renoncer à des droits sacrés et à l'indépendance qui Nous est nécessaire pour le libre exercice, à travers le monde, de Notre ministère Apostolique. Dans ces derniers temps, comme vous avez pu le constater vous-mêmes, un nouveau sujet d'amertume s'ajoute à Nos douleurs. Sous Nos yeux, dans cette Ville Sainte, qui devrait être le centre respecté de la Catholicité, il est permis à des sociétés de propagande religieuse, de profiter des tristes conditions économiques du pays pour corrompre la foi de Nos enfants, et cela, au nom du faux principe du jugement privé, qui affecte pourtant de laisser à chacun le droit d'interpréter à sa façon la doctrine du Christ.

Vous avez raison de protester contre cet état de choses, qui vous fait mieux comprendre les circonstances douloureuses dans lesquelles Nous avons vécu pendant les vingt trois années de Notre Pontificat.

Mais, au milieu de Nos tristesses Dieu Nous ménage des consolations, et votre présence ici, chers fils, en est une bien grande,

qui en ce moment vient rejouir Notre cœur. L'Histoire nous dit qu'autrefois, Saint Philippe de Neri, l'aimable apôtre de Rome, quand il voyait passer devant lui les jeunes missionnaires de la Grande Bretagne, qui se préparaient à rentrer dans leur pays pour prêcher et défendre la foi catholique au prix de leur sang, avait l'habitude de les saluer avec une admiration mélée à la tristesse et leur adressait ces mots: *Salvete flores Martyrum.* — Chers fils, Nous n'avons pas à vous faire cette salutation aujourd'hui, car ces temps funestes sont passés et votre foi n'a plus à affronter la persécution. Sous le sceptre de votre gracieuse Souveraine, dont Nous avons pu maintes fois apprécier les hautes qualités, vous jouissez d'une grande liberté, et vous pouvez professer la doctrine catholique et obéir à l'Eglise sans que personne puisse vous refuser une place d'honneur parmi les plus fidèles sujets de votre Reine.

Cependant, s'il est bien vrai que vous n'avez plus à souffrir de l'hostilité des lois qui vous gouvernent, et que Nous pouvons Nous féliciter avec vous de la liberté qu'elles vous accordent, d'autres dangers néanmoins vous menacent constamment, et vous les avez indiqués dans l'adresse que Nous présentait tout à l'heure votre digne Président, Monsieur le Duc de Norfolk. Des erreurs de tout genre, le doute, l'incrédulité se présentent à vous sous les formes les plus séduisantes et vous tendent sans cesse des piéges. Gardez vous contre tout ce qui pourrait ternir la pureté de votre foi et l'intégrité des principes catholiques. Forts de l'esprit de vos Martyrs, n'hésitez pas à sacrifier, quand il le faut, quelques avantages temporels pour conserver intact le glorieux héritage que ces héros vous ont laissé. — Sous la conduite de vos Evêques et en restant fidèles aux enseignements du Saint Siège, vous saurez éviter tous les écueils, et vos frères séparés, attirés par votre exemple et soutenus par vos prières, viendront

eux aussi prêter hommage à la vérité dans le sein de la vraie Eglise du Christ.

Comme gage de l'affection toute spéciale que Nous avons toujours eue et que Nous conservons encore pour l'Angleterre et pour tous les sujets de la Grande Bretagne, Nous vous accordons à tous ici présents et à vos familles la bénédiction Apostolique.

II.

DIE II MARTII

AD S. R. E. CARDINALES

REDEVNTE CORONATIONIS DIE

Ci tornano accettissimi i devoti sensi e gli affettuosi augurî del sacro Collegio; e Noi con esso leviamo gli occhi e il cuore a benedire il pietosissimo Iddio che Ci è largo di sì ammirabile provvidenza. Singolarmente ascriviamo a gran benefizio della sua bontà, se la pochezza Nostra, affranta sotto il peso degli anni e delle fatiche, già non soccombe di mezzo alle difficoltà che da varie parti ogni dì più si attraversano al ministero e all'azione propria della Chiesa. Non accade dissimularlo: contro la Chiesa, che pur non intende ad altro che a beneficare l'umano consorzio, tuttodì l'impudenza, la calunnia e simili inique arti hanno impunemente libero il passo. Principali ministre ne sono malvage sètte, le quali per quanto moltiformi tra loro, tutte però, quasi da una medesima occulta mano sospinte, convengono unanimi nell'osteggiare le istituzioni cattoliche e nel volerle, se possibil fosse, schiantare dall'anima delle nazioni, per riuscire dipoi ad altri fini indegnissimi. Così vengonsi moltiplicando cagioni di rammarico e di preoccupazione. Non temiamo no per la Chiesa: chè questa, forte delle promesse divine, nè punto nuova alle ingratitudini, alle contraddizioni, alle offese, suole indi ritrarre novella virtù e gloria. Anche Ci consola non poco il vedere come in ogni plaga dell'orbe cattolico lo spirito dei buoni, in bella concordia docili e riverenti

alla Chiesa e al suo Capo, tra le lotte vigoreggi viepiù, fecondo di opere egregie. Ma forte Ci addolora la cecità di tanti, ribelli o ritrosi a quella madre che impresse loro in fronte il segnacolo augusto della salute; e più ancora ne amareggia il pensare, che sarà mai delle generazioni da loro crescenti, le quali già purtroppo dànno di sè non men tristi presagi. Potesse la Nostra voce, che è voce di padre, penetrare in tutti gli ordini sociali, e muovere segnatamente coloro a cui corre speciale obbligo di favorire, coll'opera e coll'esempio, sì l'ossequio dovuto alla religione e sì il culto della morale cristiana: potesse renderli una volta convinti che, anche alla tranquillità civile e ad ogni benessere pubblico e privato, è cosa assai funesta la noncuranza dei religiosi doveri, funestissima poi il divorzio dal soprannaturale e da Dio.

Quanto agli ultimi Nostri atti di cui le piacque, signor Cardinale, di fare testè menzione, è al tutto debito Nostro opportunamente riaffermare imprescrittibili i diritti di questa Sede Apostolica: di essi non siamo Noi arbitri, ma depositari e custodi, stretti da vincoli sacrosanti. Giudicammo poi espediente dichiarare in modo pratico il come debbansi efficacemente curare le utilità vere del popolo, curando più di ogn'altro quell'inestimabile bene che è l'armonia di tutte le classi: e ciò a norma di giustizia insieme e di carità, virtù immutabili per se stesse, ma che assumono peculiari forme dalle ragioni dei tempi. Nè potevamo Noi non levarci a tutela dei consigli d'evangelica perfezione, Noi che teniamo le veci di chi ne è il divino autore. E crediamo di avere consenzienti tutti gli onesti nel tributare lode a quei molti, dalla cui generosità di sacrifizio provengono alla società preziosi frutti d'ogni maniera, precipuo la diffusione della civiltà cristiana fra remote e barbare genti. Di tali benemerenze più che mai va ricca e meritamente altèra la Francia cattolica: ora però da questa parte le sovrastano troppo gravi pericoli. Quale iattura infatti e

quanta calamità agl'interessi della religione e della patria, ove non si distorni la fiera procella che minaccia di sperdere in un subito sì eletta copia di mature fatiche e di speranze fiorenti! — Intanto al buon successo di tutte le Nostre sollecitudini e all'adempimento dei più caldi voti del Nostro cuore fa d'uopo di singolare aiuto dall'alto, massime per dileguare pregiudizi e sedare passioni, che sventuratamente vi si frappongono. Tutti adunque imploriamolo umilmente e con ogni ardore pei meriti del Redentore divino, padre amantissimo delle anime, pastore eterno della sua Chiesa.

Si abbia il sacro Collegio la significazione del grato animo e del paterno affetto Nostro, insieme con la benedizione Apostolica; la quale impartiamo di gran cuore a tutti i suoi membri, del pari che ai Vescovi, ai Prelati e a quanti altri qui Ci fanno gradita corona.

III.

DIE XXVII APRILIS

AD SCRIPTORES

EPHEMERIDVM CATHOLICARVM

IN BELGIO

C'est déja la troisième fois, vous venez de le dire vous-même, que Nous vous accueillons comme représentants de l'Association des journalistes catholiques belges. — Vous venez de Nous offrir les étrennes Pontificales, rétablies sous le haut patronage du Cardinal Archevêque de Malines et des autres évêques de Belgique.

C'est une nouvelle preuve de votre foi et de votre piété filiale, dont Nous sommes vivement touché. Cette preuve Nous est bien agréable, non seulement pour le secours annuel que vous apportez à Nos besoins, mais aussi, et davantage, pour l'esprit qu'elle témoigne, de votre dévouement au Siège Apostolique, dévouement particulièrement consolant pour Nous en ces jours, où une lutte antireligieuse, déchainée dans d'autres pays catholiques, Nous cause une grande et profonde amertume.

Recevez donc, chers fils, l'expression de Notre reconnaissance et de Notre satisfaction, et soyez-en les interprètes auprès des membres de votre Association et de tous les souscripteurs. — Veuillez leur dire, à votre retour, que leur ancien Nonce, aujourd'hui Pape nonagénaire, conserve pour la noble nation des Belges son ancienne affection, et forme les vœux les plus fervents pour son bonheur et sa prospérité. Elle sera toujours heureuse et florissante si, fière de son inébranlable constance dans la foi

catholique, elle ferme toujours les oreilles aux séductions dangereuses.

Et maintenant, comme témoignage de Notre paternelle bienveillance, recevez, chers fils, pour vous, pour votre Association, pour vos familles et pour vos souscripteurs, la bénédiction Apostolique.

---

*

IV.

DIE XXIII DECEMBRIS

AD S. R. E. CARDINALES

REDEVNTIBVS DOMINICAE NATIVITATIS

SOLLEMNIBVS

Di specialissimo gradimento Ci sono gli augurî che Ella, signor Cardinale, Ci ha or ora rivolti a nome di tutto il sacro Collegio. Li ricambiamo di tutto cuore implorando ancor Noi su di esso larga copia di straordinari favori. E straordinari favori superni scendano segnatamente sopra tutta la Chiesa di Dio travagliata, come vedete, da angustie e pressure paragonabili alle più aspre che patisse mai. Da una libertà di pensare sfrenata e superba, che pone suo vanto nel ripudio dei veri rivelati e delle influenze cristiane, germoglia di continuo una sciagurata messe di rei dettami, di errori mortiferi. Si fa ogni opera a fine di fuorviare le moltitudini, nimicarle alla Chiesa, strapparle al grembo di Roma, centro predestinato di verità e di universale salute. Si vessano, si proscrivono gli Ordini religiosi, così benemeriti non solo de' grandi interessi delle anime, ma di quelli altresì che si attengono al benessere della vita terrena: si fanno leggi improvvide, disastrose, in aperto contrasto con le leggi eterne di Dio. Oh son troppe le cagioni di amarezza, chi per poco rifletta sulle condizioni morali dell'età che corre. — Confortati dal divino aiuto, Noi non verremo meno giammai all'alto ufficio di allontanare il

gregge cristiano dagli avvelenati pascoli, che a sua grande sventura gli si vengono apprestando per ogni dove in sì gran copia. Son pochi giorni che levammo la voce, com'era dover Nostro, contro il sinistro attentato che sovrasta in Italia alla santità del matrimonio; ne additammo il male intrinseco, i funestissimi effetti che ne seguirebbero, e il facemmo con evangelica libertà, e col proposito che C'intendesse massimamente chi deve. Le savie parole sue, signor Cardinale, rispondono alla gravità del pericolo.

Nè Ci preoccupa meno l'avanzarsi minaccioso di quel movimento ribelle che va diritto a crollare le basi dell'ordinamento sociale. Intorno a un tal punto abbiamo già altra volta esortato e torniamo oggi ad esortare i cattolici che si sforzino di contrapporsi quanto possono al progresso delle sovvertitrici massime socialistiche. Ma poichè trattasi di un'impresa, dove la più efficace guarentigia di buon successo consiste nello spirito di ubbidienza e nella concordia degli animi, ubbidienti e concordi conviene che sieno, quanti intendono di adoperarsi, dietro la scorta della Chiesa, a sollievo delle classi popolari. Noi dimandiamo il concorso unanime e armonico di tutte le buone volontà. Vengano i giovani, e conferiscano volenterosi la energica e calda operosità, propria dell'età loro: vengano i più maturi e rechino fiduciosi, oltre alla provata fede, la ponderazione e il senno, frutti dell'esperienza. Uno e comune è lo scopo: uguale dev'essere ed ugualmente sincero negli uni e negli altri lo zelo. Non diffidenze, ma fiducia reciproca: non censure, ma sopportazione cristiana: non dissapori, ma carità scambievole. — Il divin Redentore che, al suo primo apparire fra gli uomini, li consolò di una spirituale dolcezza nuova, mediante l'annunzio della pace, degnisi ora di allietare la Chiesa con la perfetta concordia di tutti i suoi figli. E a questo dono della pace vada unita l'abbondanza delle grazie

celesti, che, alla vigilia delle gioconde solennità natalizie, a tutti universalmente auguriamo e preghiamo, in particolar modo al Collegio dei Cardinali, ai Vescovi, ai Prelati, a tutti gli altri qui presenti, impartendo a ciascuno con paterno affetto l'Apostolica benedizione.

INDEX

MDCCCCI

Epistola « *Studium illud* » die 14 Ianuarii ad Antonium Marini Eq. — Vicesimo quinto exeunte anno, ex quo condendae ephemeridi « *Eco del Pontificato* » animum ipse adiecit, actuosam eius in egregio opere persequendo industriam utilesque fructus Summus Pontifex gratulatur. , ... Pag. 1

Epistola Encyclica « *Graves de communi re* » die 18 Ianuarii. — Ad nonnullas inter catholicos exortas de actione populari christiana vel democratia christiana disceptationes removendas, officii Sui ducit, ea mature statuere quae a catholicis ipsis, hac in re, sentienda ac servanda sint. — Principio quidem quid democratia *socialis* velit, quid velle *christianam* oporteat, enucleate ostendit. — Nefas esse christianae democratiae appellationem ad politica detorqueri. — Illud etiam removendum a democratia christiana offensionis caput, quod nimirum in commodis inferiorum ordinum curas sic collocet, ut superiores praeterire videatur. — Item longe abesse ut appellatione democratiae christianae propositum subdatur omnis abiiciendae obedientiae eosque aversandi qui legitime praesunt. — Tum *quaestionem*, ut aiunt, *socialem* non tantummodo oeconomicam, sed moralem in primis et religiosam esse perspicue edicit. — Studium catholicorum solandae erigendaeque plebis plane congruere cum Ecclesiae ingenio, et perpetuis eiusdem exemplis optime respondere. — Quae vero ad id conducant, utrum *actionis christianae popularis* nomine appellentur, an *demo-*

cratiae christianae parvi admodum referre, si quidem impartita ab Apostolica Sede documenta, quo par est obsequio, integra custodiantur. — Quaedam demum opportune praescribit, quo amplior fiat catholicorum actio, multoque salubrior civitati eveniat. — Praecepta et optata Sua confirmat beati Pauli ad Romanos, plena apostolicae caritatis, hortatione. PAG. 3

Epistola « *Peraccepta habuimus* » die 25 Ianuarii ad Dominicum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Svampa, Archiepiscopum Bononiensem. — Tum eum tum Bononienses hoc praesertim nomine collaudat, quod profecta ab ipsis sint initia propositi sancti et salutaris, quo gentes catholicae adductae sunt alacres ad singulares quosdam honores Christo Redemptori sub ortum saeculi vicesimi dedicandos. — Calicem sacrificalem dono mittit et templo metropolitano attribuit . . . . . » 21

Decretum « *Apostolicis Litteris* » S. C. Consist., die 9 Februarii; quo nonnullae paroeciae a Dioecesi Apuana abstrahuntur et Massensi adiiciuntur . . . . . » 23

Epistola « *In maximis occupationibus* » die 11 Februarii ad Herbertum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Vaughan, Archiepiscopum Westmonasteriensem, ceterosque ex provincia Westmonasteriensi Episcopos. — Exemplar communis epistolae, ab ipsis ad populum paulo ante datae, pergratum Sibi accidisse testatur. — Saluberrimum ait consilium, eos caveri iussisse ab opinionibus iis fallacissimis, quarum universum genus designari *Catholicismi Liberalis* appellatione solet, itemque a *Rationalismo*, qui callide versuteque grassatur: tum etiam maxime salutare quod praeceptum ab ipsis est de obsequio Episcopis debito. — Nonnulla subdit ad rei catholicae incrementum apud Anglos quam maxime opportuna . . . . . » 28

Epistola « *De ingenii doctrinaeque fructibus* » die 20 Februarii ad Bartholomeum Froget, Sodalem Dominicanum. — Librum ab ipso paulo ante in lucem editum cui titulus « *De l'habitation*

du Saint Esprit dans les âmes justes » non uno nomine collaudat . . . . . Pag. 32

Epistola « *Litteras accepimus* » die 21 Februarii ad Petrum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Respighi, Suum in Urbe Vicarium. — Coetum virorum catholicorum sollemnibus, ob saeculi finem, Christo Deo Redemptori honoribus habendis, optime feliciterque suo munere perfunctum scribit, meritamque universis ac singulis, qui rei praeclarae sedulam impenderunt operam, laudem impertit . . . . . » 34

Litterae Apostolicae « *Romani Pontifices* » die 20 Martii; quibus Episcopo Roffensi facultas conceditur conferendi gradus academicos in Philosophia et sacra Theologia alumnis Seminarii dioecesani . . . . . » 36

Epistola « *Quod, Pontificatu Nostro ineunte,* » die 20 Martii ad Sodales Consociationis Bruxellensis scientiis provehendis. — Quinto et vicesimo a Consociatione instituta exeunte anno, doctas atque alacres sodalium industrias commendat, hortaturque ut coeptis alacres insistant, utpote temporum necessitati maxime opportunis . . . . . » 39

Epistola « *Quod in Abulensi* » die 20 Martii ad Iacobum Mariam Monsabré, Sodalem Dominicanum. — Librum ab ipso paulo ante in eorum eruditionem editum, quos sacris habendis concionibus destinari contingat, peculiari laude exornat. — Temporum rerumque adiuncta pretium labori addunt. . . . » 41

Epistola « *Haud exiguam significationem* » die 27 Martii ad Archiepiscopos et Episcopos Salernitanae et Lucanae regionis, etc. — Valde laetatur coetum de rebus catholicis Salernitanae et Lucanae regionis Salerni proxime habitum iri, uberesque ex eo fructus sperat . . . . . » 43

Epistola « *Quod Nos* » die 28 Martii ad Constantium Mariam Becchi,

Sodalem Dominicanum, Praesidem Consociationis quae *a Rosario perpetuo* nuncupatur. — De laetis pii instituti incrementis magnopere gaudet, fidelesque omnes hortatur ut precantem eiusmodi militiam dato quisque nomine capessat, studioseque exerceat . . . . . PAG. 45

Epistola « *In praesenti rerum acerbitate* » die 7 Aprilis ad Sebastianum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Netto, Patriarcham Olysipponensem. — De bello Ordinibus religiosis etiam in Lusitania illato graviter conqueritur. — Eorumdem Institutorum in rem cum sacram tum civilem merita commemorat, hortaturque Episcopos ut ad ipsorum incolumitatem et iura tuenda naviter incumbant. . . . . » 47

Litterae Apostolicae « *Romanorum Pontificum* » die 8 Aprilis; quibus Capitulo Premisliensi Ruthenorum nonnulla dignitatis insignia conceduntur . . . . . » 49

Allocutio « *Laeta, tristia communicare vobiscum* » habita in Consistorio die 15 Aprilis. — Illa Se curâ vehementer sollicitari initio edicit, quod asperae res atque incommoda, catholico circumfusa nomini, non modo nihil remittant, sed magis in dies ubique ingravescant. — Ecclesia quidem quoscumque labores dimicationesque afferat dies, freta Deo, excipiet ac subibit. — Metuendum imperiis, ipsique hominum civili coniunctioni pertimescendum. — Sacrum deinde Cardinalium Collegium suppleturus, S. R. E. Cardinales renuntiat ex ordine Presbyterorum Alexandrum Sanminiatelli Zabarella Patriarcham Constantinopolitanum, et ex ordine diaconorum Franciscum Salesium Della Volpe Pontificiae Domus Praepositum, quos in Consistorio habito die decima nona Iunii anno MDCCCLXXXXIX Cardinales creaverat et in pectore reservaverat. Item in sacrum Collegium cooptat Donatum Maria Dell'Olio, Archiepiscopum Beneventanum; Sebastianum Martinelli, Archiepiscopum tit. Ephesinum, Delegatum Apostolicum in foederatis Americae civitatibus; Casimirum Gennari, Ar-

chiepiscopum tit. Naupactensem, S. R. et U. Inquisitionis Assessorem; Leonem de Skrbensky, Archiepiscopum Pragensem; Iulium Boschi, Archiepiscopum Ferrariensem; Augustinum Riboldi, Episcopum Papiensem; Ioannem Kniaz de Kozielsko Puzyna, Episcopum Cracoviensem; Bartholomaeum Bacilieri, Episcopum Veronensem; Aloisium Tripepi, Alterum a Negotiis Suis publicis, et Felicem Cavagnis, Adiutorem sacri Consilii negotiis extraordinariis praepositi. . . . . Pag. 51

Litterae Apostolicae « *Quae catholico nomini* » die 15 Aprilis; de erectione novi Vicariatus Tunkini Maritimi . . . . . » 56

Epistola « *Bina a te* » die 16 Aprilis ad Petrum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Coullié, Archiepiscopum Lugdunensem. — Sese perlibenter accepisse testatur volumina, quibus ea continentur ordine digesta quae in Mariali Lugdunensi coetu, superiore anno habito, opportune sapienterque acta sunt. — Tum ipsum tum ceteros qui in coetu adfuerunt merita laude exornat. . . . . » 59

Epistola « *Obsequii pietatisque* » die 21 Aprilis ad Moderatores et Alumnos sacrorum Seminariorum Ecclesiae Mediolanensis. — Florere apud ipsos optimarum litterarum cultum magnopere gratulatur. — Quantum a litteris mutuentur efficacitatis et luminis sacrae doctrinae studia satis ostendit ipsa constans Ecclesiae disciplina. — Alumnos hortatur ut diligenter pergant institutam a maioribus tenere viam, et expectationi Ecclesiae sollertiaeque Archiepiscopi et moderatorum cumulate respondere. . . . . » 61

Epistola « *Quamvis non ita pridem* » die 26 Aprilis ad Archiepiscopum Tarentinum. — De Episcoporum coetu Aletii paulo ante habito gratulatur. — Vehementer exoptat ut propositis annuat Deus, eaque n creditarum dioecesium utilitatem fecundet . . . . . » 63

Decretum « *Oblatis Sanctissimo Domino* » S. Congr. Consist. die 28 Aprilis; quibus Diaconalis Ecclesia sanctorum Viti, Modesti et Crescentiae Francisco a Paula S. R. E. Presbytero Cardinali Cassetta in Commendam conceditur . . . Pag. 64

Litterae Apostolicae « *Iam nemini* » die 4 Maii; quibus Sanctuarium Beatae Mariae Virginis de Rosario in Valle Pompeia ad dignitatem Basilicae Minoris evehitur. . . . . » 66

Epistola « *Allatum est Nobis* » die 10 Maii ad Archiepiscopos et Episcopos Canadenses. — Tum ipsis, tum ceteris omnibus qui ad stabiles aedes in urbe Octaviensi Delegato Apostolico in Canadensi regione constituendas, collatis liberaliter sumptibus, operam contulerunt, gratos animi Sui sensus peramanter testatur. » 69

Litterae Apostolicae « *Saecularis eventus faustitas* » die 11 Maii; quibus, centesimo exeunte anno a constituta *Custodum Corporis Nobilium* cohorte, constantem ipsorum fidem debita laude exornat, eisque omnibus peculiare honoris insigne benigne concedit . . . . . » 71

Decretum « *Inter asperas rerum vices* » S. Congr. de Propaganda Fide, die 11 Maii; quo singulare sacrum insigne pie in Palaestinam peregrinantibus decorandis instituitur. . . . . » 74

Epistola « *Inter consociationes* » die 13 Maii ad Archiepiscopum Coloniensem. — Praeclara Societatis Goerresianae de re catholica merita commemorans, de emenso feliciter quinque et viginti annorum cursu gratulatur; tum sodalium omnium studia cohortando, bene precando exacuit. . . . . » 77

Epistola « *Gravissimas inter curas* » die 16 Maii ad Iosephum Sebastianum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Netto, Patriarcham Olysipponensem, ceterosque Archiepiscopos et Episcopos Regni Lusitani. — Communem epistolam ab ipsis, Ordinum Religiosorum gratiâ, ad Regem Fidelissimum paulo ante datam

magnopere collaudat, eosdemque enixe hortatur ut strenue pergant religionis ac civitatis caussam tueri . . . . Pag. 79

Epistola « *Libenter admodum* » die 17 Maii ad S. R. E. Presbyteros Cardinales Cyriacum Sancha, Antonium Mariam Cascajares, Salvatorem Casañas et Iosephum Mariam Martin de Herrera. — Consilia ab ipsis paulo ante inita de iungendis catholicorum hispanorum voluntatibus et viribus in religionis publicaeque rei utilitatem magnopere commendat, ac valde confidit fore ut alacrem optato concordiae operi universi per Hispaniam episcopi adiiciant animum . . . . . » 82

Epistola « *Nos quidem* » die 17 Maii ad Paulum Delatte O. S. B., Abbatem Solesmensem. — Datam intelligenter constanterque operam a sodalibus Solesmensibus conquirendis vulgandisque veteribus monumentis, quae ad sacram disciplinam spectant Gregorianorum concentuum, collaudat. — Hortationem opportune addit ad omnem ex alterutro ordine clerum . . . » 84

Epistola « *Ea disciplinae ratio* » die 20 Maii ad Episcopum Namurcensem. — Vehementer exoptans adolescentes, in sacris praesertim Seminariis, ad litteras optime fructuoseque institui, pergratum Sibi scribit, L. Guillaume canonicum sollertiae et laboris multum iam diu impendere in conficienda evulgandaque librorum serie, quae clariores e christianis scriptoribus cum ethnicis suo quemque genere collatos exhibeat. . . » 86

Epistola « *Senis voluminibus* » die 20 Maii ad Presbyterum Reuben Parsons. — Haud exigui laboris opus ab ipso eo consilio editum ut depulsis erroribus ex historia quaesitis, facilius qui dissident ad catholica sacra adducantur, peculiari laude exornat, uberesque eius industriae fructus adprecatur . . . » 88

Epistola « *Ab Hermanno Herder* » die 22 Maii ad Franciscum Kaulen, Antistitem Urbanum. — Perlibenter Sese accepisse testatur exemplar Lexici ecclesiastici, eius ductu atque indu-

stria, simulque eruditis magno numero viris adlaborantibus, in lucem editi. — Tum ipsum, tum eius in diuturno et gravi labore socios amplissima laude exornat. . . . . Pag. 89

Litterae Apostolicae « *Romanorum Pontificum* » die 25 Maii; quibus Praefectura Apostolica a Litore Aureo nuncupata in Africa occidentali in Vicariatum Apostolicum erigitur . . . . » 91

Litterae Apostolicae « *Apostolatus supremi munus* » die 25 Maii; quibus Praefectura Apostolica Dahomensis ad sinum Guineae in Africa occidentali in Vicariatum Apostolicum erigitur. » 93

Epistola « *Conventui vestro* » die 1 Iunii ad Andream S. R. E. Presbyterum Cardinalem Ferrari, Augustinum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Riboldi et Episcopos Provinciae Ecclesiasticae Mediolanensis. — De felici exitu conventus paulo ante ab ipsis habito gratulatur et pastoralibus eorumdem industriis uberes exoptat fructus. . . . . » 95

Epistola « *Plane cohaeret* » die 1 Iunii ad Dominicum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Svampa, Archiepiscopum Bononiensem. — Pergratum Sibi scribit significatum ab ipso consilium de templo Bononiae condendo, quod Iesu Christi Redemptoris augusto Cordi a cuncta dioecesi dedicetur. — Nobile propositum collaudat, eumque vehementer hortatur, aggredi ad rem ipsam ne dubitet. — Optatum ad exitum quaedam de aere Suo benigne confert . . . . . » 97

Epistola « *Iucundas scito* » die 9 Iunii ad Herbertum Story Praefectum et Vice-Cancellarium, item Rectorem, Doctores atque Auditores Universitatis Studiorum Glasguensis. — Pergratum Sibi scribit, sub saecularia sollemnia eiusdem Universitatis, a Nicolao V Pont. Max. institutae, ad Romanum Pontificem ipsorum omnium provolasse cogitationem. — De communibus litteris, officii plenis, grates agit, Deumque adprecatur ut doctos eorumdem labores omni in genere ad veritatem diri-

gere, eosque universos perfecta Sibi caritate coniungere benigne velit . . . . . Pag. 99

Epistola « *La carità apostolica* » die 10 Iunii ad Lucidum Mariam S. R. E. Cardinalem Parocchi, Vice-Cancellarium. — Pie institutum cui titulus: *L' Opera della Preservazione della Fede* maiorem in modum commendat, atque ad ipsum provehendum civium romanorum studia vehementer exacuit . . . . » 101

Chirographum « *Al compimento delle riforme* » die 11 Iunii; de Cancellariae et Datariae Vacabilibus. . . . . » 103

Epistola « *Studium, quo,* » die 13 Iunii ad Iacobum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Gibbons, Archiepiscopum Baltimorensem. — De laetis Lycei Magni Washingtoniani incrementis tum ob largitatem catholicorum, tum ob decurialium doctorum peritiam magnopere laetatur. — Ut nobile institutum maiore in dies auditorum frequentia floreat vehementer optat. . . » 105

Decretum « *Apostolica Sedes* » S. C. Consist. die 14 Iunii; de erectione Insignis Collegiatae Ecclesiae sancti Stephani in civitate Rhodigio . . . . . » 107

Epistola « *Litteris datis* » die 15 Iunii ad Petrum Geraigiry, Patriarcham Graeco-Melchitam. — Ipsum summopere hortatur ut, nulla interiecta mora, nationale Concilium indicere velit; tum valde confidit omnia in Synodo rite processura, concordi sedulitate perfectaque animorum consensione. . . . . » 117

Epistola « *Quinquaginta annorum spatio* » die 18 Iunii ad Archiepiscopum sancti Pauli de Minnesota. — Valde gaudet sollemnia in populo apparari ob memoriam conditae Ecclesiae Paulopolitanae. — Archidioecesi ipsi laetiora in dies incrementa exoptat . . . . . » 119

Decretum « *Reverendi Domini Parochus, Vicarii* » S. C. Consist.

die 21 Iunii; quo dioecesi Suessoniensi et Laudunensi in Galliis titulus Sanquintinensis adiicitur. . . . . Pag. 121

Epistola « *Cum, haud ita pridem,* » die 26 Iunii ad Iosephum Moser, Ioannem Brunner, Rudolfum Hornich, Iosephum Bonell, Societatis magistrorum catholicorum in Austria moderatores. — Societatem ipsam a consociatorum numero collaudat, maximeque a constanti ipsorum omnium proposito, imbuendi pueriles animos non solum rerum humanarum cognitione, verum in primis virtutibus ac pietate christiano nomine dignis. » 123

Epistola « *Le Religiose Famiglie* » die 29 Iunii ad summos Moderatores Ordinum et Institutorum religiosorum. — De bello Familiis ordinum religiosorum indicto, praesertim in Gallia, vehementer dolet. — In tanta temporum nequitia, eorumdem ordinum sodalibus solatio sint fidei documenta, Christi exempla, sacra Evangelii eloquia; tum benevola et grata bonorum omnium voluntas, nominatimque Episcoporum et Pontificis maximi. — Varii generis hortationes et monita opportune addit. » 125

Epistola « *Pergratae Nobis* » die 20 Iulii ad Episcopum Leodiensem. — Valde sperat coetum Eucharisticum Andegavi proxime celebrandum, quum Episcoporum et fidelium frequentiâ tum publicae pietatis ac religionis testimoniis nulli superiorum cessurum . . . . . » 135

Epistola « *Reputantibus saepe animo* » die 20 Augusti ad Archiepiscopum Olomucensem ceterosque Archiepiscopos et Episcopos Bohemiae et Moraviae. — Vehementer hortatur ut fideles ipsorum curis concrediti, etsi ortu varii ac sermone, eam tamen necessitudinem animorum retineant longe nobilissimam, quae ex communione fidei eorumdemque sacrorum gignitur. — Studia sacri cleri in id maxime incendit . . . . . » 137

Epistola « *Egregium virorum coetum* » die 24 Augusti ad Ioannem Baptistam Paganuzzi, Com. — Catholicorum per Italiam con-

ventui, Tarenti proxime celebrando, salutares atque uberes adprecatur fructus: tum nonnulla gravissime monet, ad fovendam firmandamque inter ipsos catholicos animorum concordiam quammaxime necessariam . . . . . Pag. 142

Epistola « *Iure merito* » die 25 Augusti ad Archiepiscopum Neo-eboracensem. — Pergratas Sibi accidisse scribit communes litteras ab ipso ceterisque provinciae neo-eboracensis episcopis paulo ante datas. — De florenti statu apud ipsos catholicae Ecclesiae et augescente in dies catholicorum pietate magnopere gratulatur . . . . . » 144

Epistola « *Almam Dei Matrem* » die 26 Augusti ad Alexium Mariam Lépicier O. S. M. — Opus theologicum cui titulus: « *Tractatus de Beatissima Virgine Maria Matre Dei* », ab ipso editum, peculiari laude exornat, eidemque de re theologica ulterius scribenti divina munera amantissime adprecatur. . . . . » 146

Epistola « *Sicut vobis est* » die 29 Augusti ad Georgium S. R. E. Presbyterum Cardinalem Kopp, Episcopum Wratislaviensem, ceterosque Archiepiscopos et Episcopos qui Fuldam convenerunt. — Communem epistolam, officii plenam, dimisso conventu Fuldensi, ab ipsis datam, haud mediocri Sibi oblectationi fuisse testatur. — Salutares atque uberes ex eodem conventu fructus sperat . . . . . » 148

Motu Proprio « *La vasta e ben diretta coltura* » die 31 Augusti; de Collegio Apostolico Leoniano in Urbe constituendo. . » 150

Epistola « *Dioecesis tuae* » die 5 Septembris ad Adolfum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Perraud, Episcopum Augustodunensem. — De peracta synodo dioecesana gratulatur, deque volumine, cleri nomine oblato, grates agit . . . . . » 152

Epistola » *Pergratum abs te munus* » die 5 Septembris ad Adal-

bertum Breznay ab intimo Suo Cubiculo, in schola Theologiae Budapestinensi Praesidem. — Industriam ab ipso positam in edendis Petri Pazmany Cardinalis operibus peculiari laude prosequitur; de quarto oblato volumine grates agit; eidemque stimulos addit ut susceptum laborem ad felicem exitum, Deo bene iuvante, perducat . . . . . Pag. 154

Litterae Apostolicae « *Parta humano generi* » die 8 Septembris; de Consecratione novi templi Beatae Mariae Virginis a sacratissimo Rosario ad oppidum Lourdes in Galliis . . . . » 156

Epistola « *Singulari quodam* » die 16 Septembris ad Praesidem coetus catholicorum in urbe Osnabrugensi habiti. — De felici eius conventus exitu gratulatur, eidemque uberem salutarium fructuum copiam vehementer exoptat . . . . . » 162

Epistola « *Quae ad Nos perferuntur* » die 18 Septembris ad Archiepiscopum Olomucensem. — De felici exitu conventus catholicorum Olomucii paulo ante habiti gratulatur. — Praeclara Archiepiscopi ipsius in rem catholicam merita amplissima laude exornat. . . . . » 164

Epistola « *Dolendum sane* » die 21 Octobris ad Donatum Mariam S. R. E. Presbyterum Cardinalem Dell' Olio, Archiepiscopum Beneventanum, ceterosque Beneventanae Provinciae Episcopos. — Ex conventu ab ipsis paulo ante habito salutares atque uberes in religionis bonum fructus expectat . . . . . » 166

Epistola « *Da qualche tempo* » Emi Mariani S. R. E. Cardinalis Rampolla del Tindaro, a Publicis Negotiis, die 21 Octobris ad Andream S. R. E. Cardinalem Ferrari, Archiepiscopum Mediolanensem. — Nomine et mandato Pontificis, eorum inter catholicos democratiae christianae fautores agendi rationem reprobat, qui vel in lucem editis scriptis vel sermonibus publice habitis, nimis incaute imprudenterque se gerunt circa ea quae ad rationes spectant civilis principatus Apostolicae Sedis. » 168

Epistola « *Quae, perturbata* » die 28 Octobris ad Placidum Ludovicum Chapelle, Archiepiscopum Novae Aureliae. — Delegati extraordinarii munus ad reficiendas excitandasque res Ecclesiae afflictas in Insulis Philippinis ipsum praeclarae gessisse scribit, eumdemque peculiari laudis commendatione prosequitur . . . . . Pag. 170

Epistola « *Quod, ubi primum* » die 31 Octobris ad Archiepiscopum Florentinum. — De Facultate Theologica apud Florentinum Seminarium iterum excitata proximeque ineunda summopere laetatur, hortatione addita et votis. . . . . » 172

Epistola « *Urbanitatis veteris* » die 20 Novembris ad Archiepiscopos et Episcopos Ecclesiae latinae in Graecia; de Seminario clericorum catholicorum Athenis instituendo . . . . . » 174

Litterae « *Venerabiles Fratres Nostri* » die 3 Decembris; de parvo Catechismo Ven. Cardinalis Bellarmino . . . . . » 180

Epistola « *Catholicos in Belgio* » die 3 Decembris ad Vilhelmum Verspeyen, Comitem. — Pergratum Sibi scribit, catholicos in Belgio scriptores ephemeridibus edendis, ad veritatem efficacius tutandam coaluisse in coetum. — Tum consilium probat, ab ipsis initum, arcae constituendae suppetiis ferendis iis sociis, qui scribendo agendoque abstinere ob aetatem cogantur; atque eiusmodi tam egregio promovendo proposito symbolam quoque Suam confert. . . . . » 181

Epistola « *Multis quidem incommodis* » die 4 Decembris ad Archiepiscopos et Episcopos Austriacae ditionis. — Pastoralem ipsorum omnium sollertiam collaudat; tum etiam valde sperat, communi eorumdem studio illorum impetum repressum iri, qui animorum cum Petri Cathedra coniunctionem dirimere conantur . . . . . » 183

Allocutio « *Afferre iucundiora velimus* » habita in Consistorio die

16 Decembris. — Singulare quoddam Italorum fidei morumque imminere periculum edicit ob rogatam paulo ante in legumlatorum coetu legem de divortiis. — Sanctitatem perpetuitatemque coniugiorum paucis complectitur. — Perperam ab exemplis peregrinis in re non dubie nefaria suffragium petitur. — Quam sint et privatim et publice calamitosa divortia. — Spem esse concludit meliora ad extremum consilia fore eorum, qui de rogatione decernent. . . . . Pag. 185

APPENDIX

PRAECIPVI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

LEONE PP. XIII

HABITI SERMONES ANNO MDCCCCI

I. - Die 8 Ianuarii, ad Anglos pie in Urbem peregrinatos. PAG. 189

II. - Die 2 Martii, ad S. R. E. Cardinales, redeunte Coronationis die. . . . . » 193

III. - Die 27 Aprilis, ad scriptores ephemeridum catholicarum in Belgio . . . . . » 196

IV. - Die 23 Decembris, ad S. R. E. Cardinales, redeuntibus Dominicae Nativitatis sollemnibus. . . . . » 198

262.13
L #5-XIII
16165
LEO XIII
AUTHOR
Leonis XIII P.M. Acta XXI
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
Cunn
already CMC
STORAGE - CBPL
16165